

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Primam & Secundam
complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit, Cum iudicibus ...

**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617789

Caput CXLIX. Christus Occasione Ficus Ob Maledictionem Arefactae De
Virtute Fidei Discipulos instruit.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18162

ne fluctent & circumferantur omni vento doctrinae, Ephes. 4. vers. 14. Scimus, quod hic verè sit Salvator mundi, dicunt Samaritani, Joh. 4. v. 42. Nos credidimus & cognovimus, quod tu sis Christus, Dei Filius, ait Petrus, Joh. 6. v. 69. Scimus, quod verum sit testimonium ejus, dicit Johan. 21. v. 24. &c. 2. Per hanc certitudinem & infallibilitatem doctrinae caelestis distinguitur ab omnibus religionibus Gentilium, quæ humano arbitrio, quin & Satanæ deceptione sunt excogitatae, uti etiam ab omnibus doctrinis humanis, quæ non nituntur certo & immoto fundamento. 3. Insignis est commendatio doctrinae Evangelii, quod fide eam recipientibus afferat vitam aeternam, perducit enim nos ad veram & salutarem Dei cognitionem, monstrat nobis Christum Mediatorem, & offert ipsius beneficia, quæ sunt gratia Dei, remissio peccatorum, justitia, donatio Spiritus sancti & salus aeterna. Aliæ doctrinae humano arbitrio excogitatae non vitam, sed mortem afferunt. 4. Mandatum Patris est vita aeterna, fide scilicet obediens, & juxta voluntatem Dei in Christum credentibus, Rom. 1. v. 16, 26. Ergo à contrario sensu non credentibus est mors aeterna, 2. Cor. 2. v. 15. 5. Christus publicum docendi ministerium conclusit hoc epiphoni-

nemate: Quæ ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor, hic enim principalis scopus est omnium Christi concionum, quod à Patre in hunc mundum missus sit Doctor & Redemptor humani generis, quodque non proferat humana somnia, sed caelestia aeterni Patris oracula. Qui hoc verè & ex animo credit, ille etiam verbis Christi credit; qui hoc negat, vel de eo dubitat, manet in tenebris incredulitatis, erroris & mortis.

Denique apud Marcum additur, quod Christus hæc concione habitæ, cum jam vespera esset, non solum è templo, sed etiam è civitate Bethaniam, & quod Lucas addit, inde in montem oliveti fuerit egressus, Luc. 21. vers. 37. Verbum egrediebatur hic non solum actum, sed etiam consuetudinem significat. Solitus enim fuit singulis diebus, qui inter Regium in urbem ingressum die palmarum susceptum, & diem viridium intercedunt vesperi Bethaniam secedere, ibidemque pernoctare ac manè Hierosolymam reverti, ut in templo doceret, Luc. 22. v. 39. Causas, propter quas in urbe pernoctare noluerit, & quæ circa hunc egressum è civitate notanda sint, in capite proximè præcedente exposuimus.

CAPUT CXLIX.

CHRISTUS OCCASIONE FICUS OB MALEDICTIONEM AREFACTÆ DE VIRTUTE FIDEI DISCIPULOS instruit. Matth. 21. vers. 20. Marc. II. vers. 20.

RATIO ORDINIS.

A Descriptione Regii in urbem ingressus, & à valedictoria Christi de suo officio concione Johannes rectè transit ad commemorationem eorum, quæ die Viridium, sive pridie Parasceves gesta: sed apud reliquos Evangelistas multa occurrunt colloquia, quæ Christus diebus intermediis, quibus in templo docuit, tum privatim cum discipulis, tum publicè cum Scribis & Phariseis instituit. Illa cum à reliquis Evangelistis sufficienter exposita Johannes videret, repetitionem eorum prætermisit: contra verò suavissimam Christi concionem valedictoriam ad discipulos habitam, & orationem *προειρησεν* ab illis prætermittam, magno Ecclesiæ commodo diligenter annotavit. Historiam de maledictione ficus sine ullo dubitationis scrupulo excipit colloquium de virtute fidei occasione, ficus arefactæ cum discipulis institutum. Matthæus enim post descriptionem maledictionis immediatè subjicit: *Et videntes discipuli mirati sunt, dicentes: Ut quid continuo aruit ficus?* Marcus eundem servat ordinem, nisi quod diem, quo hæc fermocinatio de virtute fidei fuit habitata, clarius exprimit. Legenti descriptionem Matthæi videri poterat, eodem die, qui fuit secundus ab ingressu, videlicet die Lunæ, ut hodie

Harm. Tom. II. vel Gerbard. Contin. pars prim.

loquimur, hæc utraque contigisse, quod ficus ob Christi imprecationem exaruerit, & quod discipuli arefactionem ficus animadvertentes admirandi Christo dixerint: *Ut quid continuo ficus aruit?* Sed Marcus, qui post Matthæum scripsit, disertis verbis docet, postridie ejus diei, quo ficus fuit maledicta, ac proinde die ab ingressu tertio, demum arefactionem ficus à discipulis fuisse animadvertam, atque hac occasione de virtute fidei à Christo ipsos fuisse informatos. Sunt, qui existimant, discipulos statim animadvertisse ficus arefactionem, cum non potuerint non videre foliorum delapsam, viroris exsiccationem & coloris mutationem in arbore, cumque Matthæus indivulso nexu hæc conjungat, *Et continuo aruit ficus, & videntes discipuli mirati sunt*, unde in Marco statuunt *ἡσπερολογίαν*, ac recapitulationem quandam, cum ejectionem vendentium ex templo itidem describat, ut altero post ingressum die factam, quam ipso ingressu die peractam, ex reliquis Evangelistis constat. Sed monuimus in capite proximè præcedente, omninò statuendum esse, quod tertio ab ingressu die, videlicet die Martis, demum discipuli animadverterint, sicum exaruisse, ut evidenter ex Marco constat, cum Matthæus citra temporis notationem dicat: *Et videntes discipuli mirati sunt.* Marcus verò disertam

Z 2

tem-

temporis descriptionem addat: *Et cum manè transirent, viderunt ficum aridam.* Manè, scilicet diei sequentis, quando ex Bethania quò circa vesperam ex urbe secesserant, Hierosolymam eadem viâ redierunt. Notanter etiam addit Marcus, quod Petrus ἀναμνηθεὶς recordatus scilicet execrationis, quam pridie à Christo audierat, dixerit: *Ecco ficus, cui maledixisti, exaruit.* At non potuisset dici recordatus, si statim, ut maledicta fuit, vidisset eam arefieri vel arefactam esse, quia recordatio propriè est præteritorum. Loquitur etiam Petrus in præterito, *ficus, cui maledixisti*, significans arefactionem jamdum esse antegressam, neque tunc fieri cùm hæc loqueretur, sed esse factam. Certum igitur esto, quod ad maledictionem Christi continuò quidem aruerit ficus, erat enim opus miraculosum, quod sine longiore temporis tractu peragi solet, ut reipsâ apparet non naturaliter, sed miraculosè illud fieri, sed arefactionem illam non fuisse à discipulis statim animadversam, nec tempore matutino, quo ficus fuit maledicta, quando versus Hierosolymam abierunt, nec tempore vespertino, quo Hierosolyma Bethaniam redierunt, vel quod tenebris crepusculi impedirentur, quò minus arefactionem animadverterent, vel quò cogitabundi ac sermoni Christi minus intenti præ-

terirent, vel quod non crederent ad maledictionem Christi statim securam arboris arefactionem, unde admirabundi postea dicunt: *Ecco ficus, quam execratus es, aruit, vel quod non folia protinus deciderint, sed internus & vivificus humor virtute verborum Christi fuerit duntaxat detractus, ut ex manifestis signis exterius non cognosci statim potuerit arefactio.* Nulla igitur necessitate cogimur, ut recapitulationem apud Marcum statuamus, quam nec in ejectione vendentium statuendam esse, superius ostendimus. Quidam statuunt discipulos mox, ubi ficus aruit, arefactionem animadvertisse, sequenti verò die Petrum, ut erat fervidus, vifa iterum arida ficu, admirandum dixisse: *Ecco ficus, cui imprecatus es, exaruit*, ut est apud Marcum, ac tunc Dominum discipulis respondisse, & de virtute fidei eos instruisse, quam responsionem Matthæus commemorat, non tamen addita diei mentione. Sed apud Matthæum indivulsè isthæc cohærent: *Et videntes discipuli mirati sunt, dicentes: Ut continuò exaruit ficus? Respondens autem Jesus, dixit eis, &c.* nec verisimile est, alio die Petrum, alio reliquos discipulos, admiratos dixisse: *Ut, quid continuò ficus aruit?* Vel alio die discipulos in hæc admirationis verba prorupisse, alio securum esse Christi responsum.

COLLOQUIUM CHRISTI CUM DISCIPULIS OCCASIONE ficus ob maledictionem arefactæ de virtute fidei institutum.

MATTH. 21.

20. Καὶ ἰδόντες οἱ μαθηταὶ, ἐθαύμαζον λέγοντες· πῶς παρὰ ῥαχέμα ἐξηράθη ἡ Συκὴ;
21. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν αὐτοῖς· Ἀμὲν λέγω ὑμῖν ἐὰν ἔχητε πίστιν, καὶ μὴ διακριθῆτε, ἔσται ὑμῖν πάντα. ἀλλὰ κἀν τῷ ὄρει τούτῳ εἰπῆτε· Ἄρθητι, καὶ βλήθητι εἰς τὴν θάλασσαν, γενήσεται.
22. Καὶ πάντα, ὅσα ἂν αἰτήσῃτε ἐν τῇ προσευχῇ, πιστεύοντες, λήψετε.

20. Et eo viso discipuli, mirati sunt, dicentes: Quomodo continuò exaruit ficus?
21. Respondens autem Jesus, ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hesitaveritis, non solum hoc (quod accidit) ficis, facietis: verum etiam si monti huic dixeritis: Tolle te, & projice te in mare, fiet.
22. Et omnia, quæcunque petieritis in precatione, credentes, accipietis.

MARC. 11.

20. Καὶ πρὸς παρελθόντες, εἶδον τὴν Συκὴν ἐξηραμμένην ἐν ῥίζῳ.
21. Καὶ ἀναμνηθεὶς ὁ Πέτρος, λέγει αὐτῷ· Ῥαββί, ἴδε, ἡ Συκὴ ἣν κατηράσω, ἐξηράνεται.
22. Καὶ ἀποκριθεὶς Ἰησοῦς, λέγει αὐτοῖς· Ἔχετε πίστιν Θεῷ.
23. Ἀμὲν γὰρ λέγω ὑμῖν· ὅτι ὅς ἂν εἴπῃ τῷ ὄρει τούτῳ· Ἄρθητι, καὶ βλήθητι εἰς τὴν θάλασσαν· καὶ μὴ διακριθῆ ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, ἀλλὰ πιστεύσῃ, ὅτι ἃ λέγει γίνεσθαι, ἔσται αὐτῷ, ὃ ἐὰν εἴπῃ.
24. Διὰ τούτου λέγω ὑμῖν· πάντα ὅσα ἂν προσευχόμενοι αἰτήσῃτε, πιστεύετε, ὅτι λαμβάνετε· καὶ ἔσται ὑμῖν.
25. Καὶ ὅταν στήκητε προσευχόμενοι, ἀφίετε ἐπιθήσει κατὰ τὴν οὐρανὸν ἡσυχία καὶ ὁ πατήρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς ἔθνεσι ἀφήσῃ τὰ παραπτώματα ὑμῶν.
26. Εἰ δὲ ὑμεῖς κεν ἀφίετε, ἀλλ' ὁ πατήρ ὑμῶν, ὁ ἐν τοῖς ἔθνεσι, ἀφήσῃ τὰ παραπτώματα ὑμῶν.

20. Et manè prætereuntes, viderunt ficum exaruisse radicibus.
21. Et recordatus Petrus, dicit illi: Rabbi, ecce ficus illa, quam execratus es, exaruit.
22. Et respondens Jesus, dicit illis: Confidite Deo.
23. Amen dico vobis: quod, quicumque dixerit monti huic: tollaris, ac mittaris in mare: & non hesitaverit in corde suo, sed crediderit, fore, quæ dixerit: erit illi, quicquid dixerit.
24. Propterea dico vobis: quæcunq; orantes petitis, credite, quod accipitis: & erunt vobis.
25. Et cum steteritis orantes, remittite, si quid habetis adversus aliquem: ut & Pater vester, qui in caelis est, remittat vobis delicta vestra.
26. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in caelis est, dimittet peccata vestra.

DE COAGMENTATIONE CIRCUM-
stantiarum hujus colloquii.

Matthæus omnibus discipulis tribuit, quod visa ficu arefacta admirabundi dixerint: *Quomodo continuo exaruit ficus?* Marcus de omnibus quidem discipulis commemorat, quod praterentes viderint ficum exaruisse radicibus, sed soli Petro tribuit, quod recordatus verborum Christi dixerit illi: *Rabbi, ecce ficus illa, quam execratus es, exaruit!* Quidam ergo statuunt, reliquos discipulos quidem vidisse ficum arefactam, & hoc nomine admiratione fuisse percussos, sed nihil quicquam prolocutos, solum autem Petrum, qui erat *Ἐρμῶ- τερος*, & confidentior erga Christum, dixisse: *Ecce ficus illa, cui maledixisti, exaruit!* Quod Matthæus omnibus discipulis illud tribuit, in eo synecdochicis Scripturis usitatam agnoscendam esse dicunt, ac omnibus illud à Matthæo tribui, quod soli Petro tribuendum esse Marcus exponat, vel quia Petrus omnium nomine Christo hoc proposuit, sicut jam ante sæpius fecerat, Matth. 16. v. 16. cap. 19. v. 47. Marc. 8. v. 29. Luc. 9. v. 20. Joh. 6. 68. &c. unde os *apostolorum* à Veteribus fuit vocatus, vel quia omnes ob ficus arefactionem admiratione percussi in hæc verba prorumpere potuerint, nisi Petrus eos antevertisset. Sic Matth. 14. vers. 17. Marc. 6. v. 37. Luc. 9. v. 13. discipuli dicuntur dixisse, se non habere plures, quam quinque panes, cum Joh. 6. v. 9. solus Andreas hoc dixisse referatur. Sic Marc. 7. v. 17. discipuli dicuntur explanationem parabolæ à Christo petiisse, cum tamen solus Petrus nomine reliquorum eam petierit, teste Matth. 15. v. 15. Quidam verbum *λέγοντες* apud Matthæum exponunt de *λόγῳ ἐνδιαθέτω*, sive sermone interno, quod admirabundi interius in corde suo dixerint: *Ut continuo exaruit ficus!* Sed quia Marcus disertè annotat, Christum non soli Petro, sed in genere omnibus discipulis respondisse, & quia absque urgente necessitate à sensu naturali verborum non est discedendum; ideò verisimilius est, quod discipuli, cum viderent, ficum exaruisse, ad seipos invicem prius dixerint: *Ut continuo exaruit ficus!* postea verò Petrum hanc admirationem, quam cum reliquis discipulis habebat communem, Christo exposuisse, & Christum omnibus respondisse, ac de virtute fidei hac occasione eos instruisse. Verba igitur Harmoniæ sic ordinabimus, ut ex Matthæo primum commemoretur, quid discipuli, videntes ficum exaruisse, ad se

invicem dixerint: ac postea subjungatur, ex Marco, quid Petrus omnium collegarum nomine Christo proposuerit, sicque ex Amborum Evangelistarum narratione plena colligatur relatio. Responsum Christi Matthæus sic informat, ac si ad discipulos in secunda persona dixisset: *Si vos habueritis fidem, & non hesitaveritis, &c.* sed Marcus ea in tertia persona profert, quod Christus indefinitè dixerit: *Quicumque non hesitaverit in corde suo, sed crediderit, &c.* Quia verò verba apud Marcum sunt generaliora, ac non solum ad discipulos, sed etiam ad alios fide *ἰσχυροτέρως* instructos pertinent; ideò in harmonia primo referemus verba Christi, ut extant apud Matthæum, postea recitabimus ea, ut extant apud Marcum. Verisimile enim est, Christum prius ad discipulos sermonem direxisse, postea verò, ne quis suspicaretur, ad illos solos hanc promissionem pertinere, indefinitè subjunxit: *Quicumque dixerit monti huic, tollitor ac mittitor in mare, & non hesitaverit in corde suo, sed crediderit, fore, quæ dixerit, erit illi, quod dixerit.* Promissionem de exauditione precum in fide, & ex fide factarum Matthæus sic effert: *Et omnia, quæcumque petieritis in precatione credentes, accipietis.* Marcus eam sic exprimit: *Quæcumque orantes petitis, credite, quod accipitis, & erunt vobis.* Quidam igitur hanc promissionem in harmonia sic ordinant: *Omnia quæcumque petieritis in precatione, quæcumque orantes petitis, credite, quod accipitis, & erunt vobis, credentes accipietis.* Sed quilibet videt hac ratione sententiam magis obscurari, ac participium *credentes*, quod apud Matthæum in subjecto ponitur, ad prædicatum minus commodè referri. Verba igitur sic ordinabimus, ut primo loco ponamus ea, quæ extant apud Marcum, in quibus unà cum promissione continetur præceptum & admonitio, quod credere debeamus omnia, quæ orantes petimus, nos accepturos, quibus postea subjungemus ea, quæ apud Matthæum habentur, in quibus tantum promissio continetur fidei conditionem annexam habens: *Omnia, quæcumque petieritis in precatione credentes, accipietis, quamvis interim non negemus, annexam illam fidei conditionem in voce credentes expressam tacitam admonitionem, quod in fide & cum fide petere debeamus, inclusam continere.*

*Harmonia colloquii occasione arefactæ ficus de virtute fidei
à Christo cum discipulis instituti.*

Καὶ πρῶτῳ ὁμοπορευόμενοι, εἶδον τὴν συκὴν ἐξηρα-
μένῃ ἐν ῥίζῳ. καὶ ἰδόντες οἱ μαθηταί, ἐθαύμασαν, λέ-
γοντες· πῶς ὁ ἀρχαῖος ἐξηράθη ἡ συκὴ; καὶ ἀναμνη-
θεὶς ὁ Πέτρος, λέγει αὐτῷ (Ἰησοῦ) Ἐαββί, ἰδὲ ἡ συκὴ ἣν
κατηράσσω, ἐξηραῖται. καὶ ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, εἰπὼν
(λέγει) αὐτοῖς· ἐχέτε πίσυν θεῷ. Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν·
ὅτι εἰς τὴν πίσυν, καὶ μὴ ἀσπεκιδήτε, ἢ μόνον τὸ

Et manè praterentes, viderunt ficum exaruisse
radicibus. Et eo viso discipuli, mirati sunt, dicentes:
Quomodo continuo exaruit ficus? Et recordatus Pe-
trus, dicit illi (Jesu:) *Rabbi, ecce ficus, quam execra-
tus es, exaruit.* Et respondens (autem) Jesus, ait (di-
cit) illis: *Confidite Deo. Amen enim dico vobis: quod
si habueritis fidem, & non hesitaveritis, non solum hoc*

της Συκῆς ποιήσεται· ἀλλὰ κἀν τῷ ὄρει τῶν εἰρησῆ· ἀρ-
θῆσι καὶ βλήθῃσι εἰς τὴν θάλασσαν, γενήσεται. (καὶ) ὅς
ἀν εἴπῃ τῷ ὄρει τῶν ἀρθῆσι, καὶ βλήθῃσι εἰς τὴν θά-
λασσαν· καὶ μὴ ἀλακρῆθῃ ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, ἀλλὰ
πιστεύσῃ, ὅτι ἂν λέγῃ γενήσεται· ἔσται αὐτῷ, ὅ ἐάν εἴπῃ.
Διὰ τὸτο λέγει ὑμῖν· πάντα ὅσα ἂν προσευχόμενοι
αἰτήσῃτε, πιστεύετε, ὅτι λαμβάνετε· καὶ ἔσται ὑμῖν. καὶ
πάντα, ὅσα ἂν αἰτήσῃτε ἐν τῇ προσευχῇ, πιστεύοντες,
λήψετε. καὶ ὅταν ἐκήχητε προσευχόμενοι, ἀφίστε ἐπι-
σχέτε κατὰ τινος· ἵνα καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς
ἐξουαῖς ἀφίσῃ ὑμῖν τὰ ἁρπαγμάτα ὑμῶν. εἰ ᾗ ὑμεῖς
οὐκ ἀφίστε, ὁδὸς ὁ πατὴρ ὑμῶν, ὁ ἐν τοῖς ἐξουαῖς,
ἀφίσῃ τὰ ἁρπαγμάτα ὑμῶν.

(quod accidit) sicut, facietis: verum etiam si monti huic
dixeritis: tolle te, & projice te in mare, fiet. (Et) qui-
cunque dixerit monti huic: collaris, ac mittaris in ma-
re, & non hesitaverit in corde suo, sed crediderit, fore,
quae dixerit: erit illi, quod dixerit. Propterea dico
vobis: quaecunque orantes petitis, credite, quod ac-
cipitis: & erunt vobis. Et omnia, quaecunque pe-
tueritis in precatione, credentes, accipietis. Et cum
steteritis orantes, remittite, si quid habetis adversus
aliquem: ut & Pater vester, qui in caelis est, re-
mittat vobis delicta vestra. Quod si vos non di-
miseritis, nec Pater vester, qui in caelis est, dimi-
tet peccata vestra.

Exegesis hujus colloquii.

Quod de ligno vitis sive palmitibus Domi-
nus apud Ezechielem cap. 15. v. 2. & Chri-
stus, Joh. 15. v. 6. pronunciant, quando illud arefa-
ctum fuerit, nullius amplius esse usus, sed igni in escam ce-
dere: idem etiam de ligno ficus pronunciare pos-
sumus, videlicet quod suaves & generosos quidem
proferat fructus, quamdiu adhuc vitali succo per-
fruitur, sed quando humore & virore absorto ex-
arefcit, tum nullum amplius exhibet usum, quam
ut ignis fiat escam. Diversa autem est ratio illius fic-
us, quam divino Christus exficavit & arefecit
miraculo. Illa enim praeterquam quod evidens
speculum fuit exitii steriles & infrugiferos Judaeos
justo Dei judicio manentis, materiam admiratio-
nis discipulis, Christo vero instructionis de virtu-
te fidei exhibuit. Ac quamvis hodie ficus illa non
amplius extet, sed jam olim vel igni fuerit absum-
ta, vel carie exesa, tamen adhuc fructum nobis ex-
hibet, si expendamus ea, quae Christo occasione
illius de fidei & orationis virtute discipulis suis
proposuit, sicque quod fructificationi naturali de-
cessit, illud fructificatione spirituali ex instructio-
ne Christi occasione arefactionis instituta abun-
de compensatur. Possunt autem duae principa-
les hujus pericopes statui partes. Prior continet
admirandam discipulorum questionem, posterior
informativam Christi responsonem.

1. In descriptione partis prioris exprimitur
primò questionis occasio, quae est arefactionis in ficu
maledictae observatio. Viderunt ficum arefactam
radicitus; cujus observationis adjunctum, vide-
licet circumstantia temporis, quando viderint
ficum arefactam, simul declaratur: Manè præ-
tereuntes, subintellige die ab ingressu tertio, qui
erat dies Martis, ut ex relatione Marci eviden-
ter colligitur. Postquam Christus die proximè
praecedente, qui erat dies Lunae, ut hodie lo-
quimur, ficum in via Hierosolymam versus suscepta
maledixisset, per diem integrum in templo do-
cuerat, vendentes & ementes iterum ex eo eje-
cerat, ac valedictoriam de suo officio concionem
habuerat, circa vespeream more solito in Betha-
niam exiit, ibique pernoctavit; die sequente ite-
rum abierat Hierosolymam, & quidem πρωὶ sum-
mo manè, id quod indefessum ipsius studium pro-
pagandi doctrinam caelestem, & promovendi ho-
minum salutem arguit, Joh. 4. v. 34. Jamdum per
integrum biduum in templo docuerat, nihilo tam-
en minus die tertio ad docendi officium redit,

ne ullam benefaciendi occasionem praetermittat.
Quia omnis populus ὡδοῦ ἐν πρὸς αὐτὸν, manè ad
eum ibat in templo, Luc. 21, 38. ideo noluit iporum
studium ac desiderium frustrari, sed manè ad se,
properantibus manè occurrere voluit, ut re ipsa
confirmaret illud, quod Sapientia dicit, Prov. 8.
v. 17. Qui manè ad me vigilaverint, invenient me. Vo-
luit etiam hoc ipso ostendere, se esse eum, qui ad
majores Judaeorum miserat per manum Prophetarum
manè surgendo & mittendo ὁδοῦ ἐν πρὸς, 2. Paral. 36.
v. 15. qui civitati suae auxilio & gratia praesto est manè,
πρωὶ, Psalm. 46. v. 6. qui audit vocem nostram,
πρωὶ, Pl. 5. v. 3. ideo & nos praeparemus oratio-
nem πρωὶ, vers. 4. ac vigilemus ad ipsum manè, Esa.
26. v. 9. Reliqua circa hunc matutinum Christi
in urbem ingratam reditum noranda exposuimus
superius. Verbum παραπροσεύχόμενοι vulgata red-
didit, cum transirent, quò modo etiam Syrus ver-
tit per עבר. Cum transirent, eadem via, quam ali-
quoties superioribus diebus frequentaverant.
Quidam vertunt, cum ambularent, hoc est, cum
juxta ipsam ficum iter facerent, quae erat ἐπὶ τῆς
ὁδοῦ, Matth. 21. vers. 19. quo sensu etiam παραπρο-
σεύχεται usurpatur, Matth. 27. v. 39. Marc. 15. 29.
alibi verò simpliciter significat iter facere, Marc.
2. v. 23. cap. 9. v. 30. sicut etiam LXX. Interpretes
Hebraeorum עבר, transivit, praeterivit, alitattissime per
hoc vocabulum expriment, Gen. 37. v. 27. Exod.
30. v. 13. &c. Sensus igitur est, quòd tum de-
mum discipuli viderint ficum exaruisse, cum
die ab ingressu in urbem tertio, & quidem tem-
pore matutino Christum secuti ex Bethania Hiero-
solymam redirent, ac viam eadem, qua ficus pridè
à Christo maledicta conspectui praetercun-
tium se offerebat, iter facerent. Neque enim
statim ac pronunciaverat Christus execrationis
verba, viderunt ficum exarefcere, sed posttridè
demum, cujus rei causas varias paulò antè expo-
suimus. Viderunt autem exaruisse τὴν Συκην, illam
ficum, cui Dominus pridè maledixerat, quia ar-
ticulus hoc loco est ἀναφορικός, & quidem exaruis-
se, ἐκ πίλων, quod ut in praecedente capite mo-
nuimus, à quibusdam accipitur exclusivè, quasi ra-
dix adhuc manserit vegeta & succulenta, sed re-
ctius accipitur inclusivè, quod unà cum ramis &
trunco etiam radices fuerint arefactae, quia Chri-
stus toti arbori maledixit, jam verò partes arboris
etiam sunt radices, per quas succum è terra attra-
hit. Cum ergò viderent miseram illam ficum stare
folio-

foliorum comis viduatam, ac ramos nudos, aridos, fragiles propendere, corticis etiam colorem immutatum, & quidem verno tempore, quo arbores vivæ ac vegetæ foliis luxuriari solent, quibus etiam hanc ipsam die proximo adhuc vestitam viderant, ex eo facile colligere potuerunt, arborem hanc radicitus etiam mortuam & arefactam. Syrus habet verbum *אֵץ*, quod significat *oculis & mente accuratè contemplari*, ex qua contemplatione totalem arboris arefactionem facile percipere potuerunt. Nimirum ut hæc ficus maledictioni à Christo subjecta, ab imis inde radibus ad supremum usque verticem fuit arefacta, & virore omni exuta, sic Dei maledictio radicitus eos exarefcere facit, contra quos vibratur, cujus rei memorabile exemplum proponitur in populo Israëlítico. Cùm enim Judæi essent *naturales rami spiritualis olivæ, per incredulitatem fracti sunt*, atque excisi, Rom. 11. v. 17. inde ad imas usque radices aruerunt, ut nec Ecclesiæ dignitatem, nec Politicæ formam obtineant, *pervenit super illos ira Dei usque in finem*, 1. Thesal. 2. v. 16. atque hujus miserrimæ conditionis speculum in maledictione & arefactione ficus Christus ob oculos nobis ponere voluit.

Secundò *causa impulsiva quæstionis interior*, quæ est admiratio. *Et eo viso discipuli mirati sunt*. Ficus foliis viduata, marcore consumpta, & virore omni destituta in prætereundo oculis ipsorum oblata, fuit veluti *causa impulsiva* admirandæ quæstionis exterior, sive *προκαταρξισιόν*, sed tacita animorum admiratio fuit *causa impulsiva interior*, sive *προπηγεμὴν*. Arefactionis in ficu animadversio admirationem in animis discipulorum excitavit, admiratio in hæc verba prorumpere illos impulit. Ad verba maledictionis, quæ teste Marco, cap. 11. v. 14. pridè ipsimet audiverant, non leguntur stupuisse, nunc cum eventum maledictioni respondisse animadvertunt admirantur. Videtur hæc admiratio ex fidei exiguitate proficisci. Jamdum aliquoties vim verborum Christi oculis atque auribus perceperant, ut admirationis non amplius deberet esse locus. Quemadmodum enim Marcus cap. 6. vers. 51. & 52. dicit, quod propterea *ἐν εὐνοίᾳ ἐξήγαγον καὶ ἐβίβωσαν*, quando viderunt Christum supra mare ambulantem, *quia non intellexerant de panibus*, hoc est, quia non satis dignè expenderant Christi potentiam in miraculo saturatorum quinque millium per paucos panes demonstratam; ita quoque non immeritò cogitatur, discipulos hoc loco arefactionem ficus fuisse admiratos, quod non satis expenderant efficaciam verborum Christi in aliis miraculis abunde declaratam. Chrysostomus notat, quod *mirati fuerint potentiam Christi ad perdendum, & nocendum extendi, cujus rei exemplum hactenus non viderant*: sed quando viderunt Christi permisso gregem porcorum in mare præcipitem agi, Matth. 8. vers. 32. ex eo facile colligere poterant, Christum potentia ad perdendum sufficienter instructum esse, si eam contra homines exercere & exercere vellet. Quidam causam admirationis statuunt eam, quod *potentiam Christi ad arborem extendi hactenus ignoraverint*. Sed id ipsum etiam facile colligere poterant ex eo, quod Christus in hominibus sanandis, & resuscit-

Herm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

tandis eam jam ante declaraverat, majus enim miraculum est membra humani corporis arefacta restituere, cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, mortuis vitam donare, quam arborem exficcare & arefacere. Tribuenda igitur hæc admiratio discipulorum ignorantia & fidei parvitate, ut rectè monet Toftatus quæst. 122. Antè passionem nondum firmiter & perfectè credebant, Christum esse verum & æternum Deum, ac propria virtute miracula facere, aliàs in passione non fuissent tantoperè scandalizati; habebant ipsum pro Propheta, Luc. 24. v. 19. Quemadmodum ergo Prophetis concedebatur unum genus miraculorum, ut non concederetur aliud: ita quoque de Christo judicabant, & quia nondum viderant arborem verbis ipsius arefactam, unde hoc loco admirantur. Rectè quidem faciunt discipuli, quod opus miraculose arefactionis non contemnunt, sed observant, suspiciunt & admirantur, quo exemplo contemptores Epicuræos, qui *opera Domini non considerant*, Esa. 5. v. 12. sed in diem vivunt, condemnant, utque ad emendationem nostram opera Domini observemus, nos excitant, interim infirmitatis est, quod ad eventum potius respiciunt, quam ad causam & mysticam hujus miraculi significationem. Debebant potius mirari, quod Christus, cui proprium erat benefacere, irrationali creaturæ maledicat, ac verbis execrationis auditis statim querere, quid sibi velit insolita isthæc imprecatio: sed ad eam non habent animos attentos, prætereunt taciti, tum demum in admirationis verba prorumpentes, cum eventum imprecationi respondiisse & arborem radicitus exaruisse animadvertunt. Describitur ergo in hac discipulorum admiratione carnis nostræ ingenium. In externis & sensui obviis eventibus plerumque hæremus, causas verò rerum, quæ geruntur, negligimus, unde fit, ut eventus & varios hominum casus admiremur, eorum verò consideratione ad seriam conversionem minimè excitemur. Sic calamitates & plagas publicas humeris nostris vel incumbentes vel imminentes observamus, sed causas earum & Dei consilium, quod per easdem ad pœnitentiam nos invitat, parum curamus. Miramur Respublicas & Familias exarefcere, sed fontem morbi, videlicet idololatriam, injustitiam, avaritiam, libidines, &c. ex quibus regnorum & familiarum interitus oritur, non observamus. In morte exarefcunt corpora nostra instar hujus arefactæ ficus, sed pauci considerant hujus arefactionis causam, existimant, vel fortuito vel ex naturalibus causis morti nos subjectos esse, sed primæva illa Dei maledictio, Gen. 3. v. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, cui propter peccatum totum genus humanum est subjectum, morti nos obnoxios reddidit. Discamus igitur hanc esse prudentiam verè piorum propriam, Psalm. 90. vers. 12. quod non inhæreant externis rerum eventibus, earum causis interim neglectis, sed animum & oculos cordis ad providentiam Dei elevent, & causas calamitarum ex ira Dei adversus peccata unice dependere agnoscant, Psalm. 90. v. 9.

Tertiò, succedit tandem *ipsa quæstio*, per quam interiorum admirationis affectum verbis exteriorum testantur. Ac primò quidem *in genere*

de omnibus discipulis refert Matthæus, quod in vicem dixerit: *Ut continuo exaruit ficus!* In vulgatis Græcorum Codicibus repetitur additum nomen τῆς συκῆς, uti etiam in Syriaca paraphrasi, sed in verustis exemplaribus, ut & apud Hieronymum non habetur. Videtur igitur à librariis adjectum, sed sine necessitate, quia ex præcedentibus constat, de ficu à Christo maledicta sermonem esse, ac magis convenit verbis admirationis ex abrupto prolatis, si nomen ficus omittatur. Casaubonus monet, illud πῶς ἐξηράθη vitandæ ambiguitatis causâ potius vertendum esse, *ut statim exaruit*, quam *quomodo exaruit!* cum τὸ πῶς hic non sit querentis de modo, sed admirantis. Et sanè non querunt discipuli, quo consilio Christus hanc ficum arefecerit, quam tempus ipsum à sterilitatis crimine videbatur absolvere, nec querunt de modo, quo ficus exaruerit, facilè enim ex antegressa Christi maledictione colligere poterant, miraculosam hanc fuisse arefactionem, in miraculis autem modus frustra queritur, interim ab admirandis hisce discipulorum verbis non planè exulat omnis queritio. Ita namque mirantur repentinam ficus arefactionem, ut simul querant, quomodo continuo ad verbum unum à Christo prolatum omnem virorem exuerit? unde tanta vis verborum Christi, quod arborem velut sideratione quadam percussam subito arefecerint? quid ficui factum, quod cum sit arbor per naturam maximè humida & succulenta, quæque etiam radicibus è terris evulsa, vel excisa humiditatem insitam multo tempore reseruet, tam repente ob verbum unum ab imis inde radicibus contabuerit exuta omni virore & pulchritudine, consumpta marcore, ut nil nisi aridi & ignibus debiti ligni speciem præ se ferat? Causam enim admirationis continet vocabulum παραχρημα. Si post aliquot dies vel septimanas arefactio secuta fuisset, causis naturalibus eam tribuissent, nunc cum continuo arefactam vident, in admirationem rapiuntur, & in hæc verba prorumpunt. *Ut statim exaruit ficus!* Unde verò colligere potuerunt, ficum continuo exaruisse? Diximus superius, quod non statim animadverterint, cum ficus virtute verborum Christi areficeret, prosequantur enim unâ cum Christo iter suum, nec hærebant in via, apud ficum, unde ergo colligunt, eam continuo exaruisse? Quidam illud παραχρημα cum quadam latitudine ac tractu quodam temporis accipiendum esse volunt, quod intra diem naturalem, hoc est, intra viginti quatuor horas ficum arefactam intellexerint, tantum enim temporis inter maledictionem à Christo prolatam, & arefactionis observationem intercesserat. Sensus igitur foret, miratos fuisse discipulos, quod in exiguo aliquot horarum spacio, & quidem noctu absente Solis æstu arbor foliosa & succulenta penitus exaruerit. Sed quando παραχρημα de miraculis usurpatur, semper notat, in momento aliquid contigisse, Luc. 1. v. 64. cap. 4. v. 39. cap. 5. v. 25. cap. 8. v. 44. & 55. cap. 13. v. 13. cap. 18. v. 43. Act. 3. v. 7. cap. 5. v. 10. cap. 9. v. 18. &c. Syrus reddidit: *בר שעתה* pro *בשעתה*, illicò, *protinus, in illa hora*, in illo momento, Matth. 8. v. 3. Marc. 1. v. 42. ubi in Græco est εὐθέως. Rectè igitur etiam hoc loco sic accipitur, quod in momen-

to ficus exaruerit, id quod admirationem in animis discipulorum augebat. Quamvis enim non animadverterant arefactionem ad verba Christi imprecatoria statim secutam, ex effectu tamen facile colligere poterant, subito & in momento arborem exaruisse. Cum enim nihil viroris, nihil foliorum viderent in hac arbore superesse, quæ pridè virentium foliorum copia quosvis oblectaverat, ex eo facile colligere potuerunt, continuo ad sermonem Christi eam exaruisse, cum nec æstu, nec frigore, nec ictu tam brevi tempore illud effici potuerit. Arefactio successiva ex causis naturalibus originem trahens non potuisset ad extremam illam ariditatem in tam brevi temporis spacio eam perducere, ex eo collegerunt, esse hanc arefactionem miraculosam ac proinde in instanti factam, prout in aliis miraculis contigisse viderant. Atque hæc invicem dixerunt discipuli ficus arefactione admirantes, non tamen mustitando, sed clara voce proferendo, ita ut Christus hoc audiret, unde postea illis respondi dicitur. *In specie de Petro commemorat Marcus, quod in hac publica & communi discipulorum admiratione Christum compellarit, dicens: Rabbi, ecce ficus, quam execratus es, exaruit.* Copulativa & hoc loco est nota temporis, ac ponitur pro τῶς, prout etiam usurpatur Matth. 9. v. 7. sicut Hebræi ἵ ponunt pro ἵνα, Gen. 3. v. 5. cap. 18. 10. Exod. 7. v. 8. Dicitur autem ἀναμνησθεῖς, recordatus, sermonis scilicet Christi imprecatorii, quem pridè ex ipso audiverat, quem arefactionis huius causam esse rectè iudicabat. Rabbi, Syriacum est, significans *Domine mi*, quod hoc loco, uti etiam alibi Evangelistæ sine adjecta interpretatione posuerunt, cum fuerit ejus significatio omnibus nota, Matth. 26. v. 25. & 49. Marc. 9. v. 5. cap. 11. v. 21. Johan. 1. v. 49. cap. 3. v. 2. & 26. &c. Joh. 1. v. 39. additur explicatio: *ῥαββί, ὁ λέγειν ἐμνηνεύμενοι* Διδάσκαλε: ac constat ex historia Evangelica, quod hac formula in familiari & quotidiano sermone Apostoli Christum compellarint, Joh. 13. v. 13. Sic ergo etiam hoc loco Petrus Christo dicit: *Rabbi, ecce ἡ συκὴ ἡ ἴκα, quam execratus es, exaruit.* ἀρξάσαι idem est, quod ἐνχεῖσαι, ac tam in bonam, quam malam partem usurpatur, inde ἀρητήρ, *precator, Sacerdos*; sed καταρξάσαι significat *execrari, diris devovere, mala imprecari*, Matth. 5. v. 44. cap. 23. vers. 41. Luc. 6. v. 28. Jac. 3. v. 9. Vulgata hoc loco reddidit per *maledicere*, quod respondet τῷ κακολογεῖν, sicut etiam εὐλογεῖν & καταρξάσαι sibi invicem opponuntur, Rom. 12. vers. 14. ac Syrus itidem reddidit per *לר, maledixit*. LXX. utuntur pro *מרר*, quod significat vel *verbo maledicere*, vel *re & facto malefacere*, Gen. 5. vers. 29. cap. 12. vers. 3. &c. quæ posterior significatio pulchrè huic loco congruit. Ut enim Dei benedicere est benefacere, cum Deus non loquatur verba, sed res: sic Christi maledicere est malefacere (intellige de malo pœnæ) quod enim verbis ficui minatus est, illud divina sua virtute statim dedit effectum. Atque hæc κατὰξάσαι ficui illata, fuit symbolum & præindium temporalis & æterni exitii populo Judaico ob contentum Messia expectandi, quod κατὰξάσαι nomine exprimitur, Gal. 3. v. 10. Hebr. 6. 8. 2. Pet. 2. v. 14. quo sensu etiam damnati dicuntur κατὰξάσαι, Matth. 25. 41. Quia enim oblatam in Christo bene-

benedictionem recipere noluerunt, inde maledictioni semetipsos obnoxios reddiderunt. Proponitur autem nobis in Petro, qui ubique ut studiosus observator dicitur ac factorum Christi describitur, exemplum diligentiae ab omnibus verè piis requisitæ, quod Verba Christi non debeant oscitanter audire, sed memoriæ tabulis ea inscribere, ac feris gemitibus Deum orare, ut per Spiritum sanctum nobis ea suggerat, si fortè cordibus nostris ea exciderint, Joh. 14. v. 26. Quemadmodum etiam Petrus Christum de hac miraculosa ficus arefactione compellat, sine procul dubio eo, ut Christi instructionem de ea audiat: ita convenit in omnibus rebus dubiis & admiratione dignis os Domini consulere. Quemadmodum enim Deus in Veteri Testamento è propitiatorio inter duos Cherubim ad populum Israëliticum loquebatur, Exod. 25. v. 22. sic Christum in Novo Testamento nobis proposuit *ἰσαήθειαν*, Rom. 3. vers. 25. ut ex ipsius ore consilium Dei de rebus ad salutem necessariis & utilibus audiamus.

Posterior pars hujus pericopes *informatoriam* Christi responsonem continet, in qua disserit de virtute fidei: 1. in miraculorum operatione. 2. in devota oratione. 3. in fraterna condonatione. Cum enim condonatio fraterna sit effectus & fructus caritatis, caritas verò fidei, inde haud immeritò etiam ad fidem, tanquam ad primum fontem, condonatio illa refertur. Respondens autem Jesus dixit illis: *Habete fidem in Deum*. Respondendi verbum Hebrais generaliter significat sermonem ordiri, hic verò propria ejus significatio retineri potest, cum verba illa, quibus & Petrus & reliqui discipuli admirationem suam exponunt, quæstionem aliquo modo includant. Dicitur autem Christus respondisse *discipulis* in plurali, quamvis à solo Petro compellatus fuerat, tum quia Petrus omnium nomine hoc proposuerat, tum quia doctrina, quam Christus ex hoc miraculo elicuit, ad omnes omninò pertinebat. Responsi hujus tria principalia statui possunt membra, quorum quodlibet exhortationem, & exhortationi annexam rationem, videlicet promissionem complectitur. Primi membri exhortatio hæc est: *Habete fidem in Deum*; promissio, *si habueritis fidem & non hæstaveritis, non solum hoc, quod accidit ficui facietis, sed etiam si monti huic dixeritis, tollitor & projicitor in mare, fiet*. In secundo membro exhortatio est: *Quaecumq; orantes petitis, credite, quod accipitis*; promissio, *omnia quaecumq; petieritis in prece credentes accipietis*. In tertio membro exhortatio est, *cum steteritis orantes, remittite, si quid habetis adversus aliquem*; promissio, *ut & Pater vester, qui in caelis est, remittat delicta vestra*. Antequam verò ad specialem horum trium membrorum considerationem descendamus, in genere notandum, primò quod Christus ipse usum hujus miraculi discipulis explicet. Cum enim non solum Judæi, quorum plurimis dubio procul hoc miraculum urpote in sicu Hierosolymæ vicina & omnium conspectui obviâ factum innouerat, parum curarent, quid hic à Christo ageretur, ac quid sibi vellet illa miraculosa & repentina ficus arefactio, sed etiam discipuli, Christi familiares ac domestici non satis diligenter rei gesta attenderent, ideò Christus

ipse hujus miraculi usum ostendit, atque eo ipso demonstrat, quod sit interpres divinæ voluntatis & mysteriorum divinarum *ἐξηγητής*, Johan. 1. 18. quodque *habeat clavem David*, Apoc. 3. 7. quâ possit *librum intus & foris scriptum aperire, & signacula ejus solvere*, Apoc. 5. 5. Deinde & hoc in genere notandum, quod non aperiat discipulis mysticam hujus miraculi significationem, denotari scilicet per illud Judaici populi excidium atque exitium, sed occasionem ex eo accipit exhortandi discipulos ad fidem in Deum, quâ non solum similia, sed etiam majora præstare possint. Causæ hujus rei variæ ab Interpretibus afferuntur. Quidam statuunt, *Christum ideò hanc miraculi significationem non exposuisse discipulis, quia nondum erant hujus mysterii capaces*, sicut postea inquit Joh. 16. vers. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis modo portare*. Et sanè præoccupati erant discipulorum animi falsa ista persuasione, quod politia Judaica usque ad finem mundi sit duratura, ut apparet ex ipsorum quæstione, Matth. 24. vers. 3. unde difficulter persuaderi potuissent, Synagogæ Judaicæ exitium inpropinquo esse, illudque per hanc ficus arefactionem præfigurari. Sed cum in sequentibus de hoc exitio Christus disertis verbis, & quidem prolixè discipulis concionetur, ideò non est verisimile, ob hanc causam mysticæ significationis expositionem ab ipso hic prætermitteri. Quidam statuunt, *non fuisse Christo expediens visum, odiosam illam atque invidiosam miraculi significationem Judæ potissimum præserte directè explicare, cum in historia passionis maximi probri loco ipsi objiciatur, quod se templum Dei destruere posse dixerit*, Matth. 26. v. 61. ac Stephanus hoc nomine coram Synedrio graviter accusetur, quod adversus locum illum sanctum non cesserit loqui, Act. 6. vers. 13. Christum igitur hujus periculi & invidiæ declinandæ causa maluisse, hoc discipulis cogitandum relinquere, cum eventus ipse hunc miraculi finem eis in memoriam revocaturus esset, quando post resurrectionem suam accepto jam Spiritu sancto præsentem intuerentur Judæorum reprobationem in hac ficus arefactione præfiguratam. Sed ratio paulò ante adducta etiam huic conjecturæ adversatur. Quidam existimant, *significationem illam tam facilem ac intellectui obviam fuisse, ut eam multis commemorare Christo non fuerit necessarium, vel opera precium visum*. Sed ruditas & infirmitas discipulorum, in qua adhuc hærebant, tale quid cogitare vix permittit. Quidam suspicantur, *Christum, cum esset νεωτὸς, privatim hanc miraculi significationem discipulis exposuisse, quamvis id non fuerit ab Evangelistis annotatum*: Marc. 4. vers. 11. Sed & hoc incertum esse, quilibet videt. Quidam ergo putant, *Christum in sequentibus parabolis hunc finem atque usum miraculi discipulis manifestasse, ac proinde cum illis conferendum hoc loco tacitè reliquisse*. Simplicissimè respondetur, Christum in hac ipsa concione mysticam illam significationem arefactæ ficus exposuisse. Quamvis enim mysterium excidii Judaici per hanc ficus arefactionem denotatum disertis verbis non exponat, cum etiam discipuli significationem non requisiverint, sed factum ipsum solummodò mirati fuerint, tamen ex consequenti illud manifestat. Dum enim fidem discipulis commendat, tacitè

citè admonet, populum Judaicum propter incredulitatem ex spiritali oliva, cui implantati erant, defractum esse, Rom. 11. v. 20. ac propter eandem incredulitatem exitium ipsos manere. Tostatus hoc loco movet quæstionem: Quare Christus doctrinam de virtute fidei occasione hujus miraculi discipulis proponat, cum jam ante eam proposuerit, Matth. 17. vers. 20. & Luc. 17. vers. 6. Respondet autem, *CHRISTUM per accidens hanc doctrinam repetivisse propter admirationem discipulorum.* Sed quia res ipsa ostendit, *CHRISTUM etiam hoc sine miraculum illud edidisse, ut occasionem haberet informandi discipulos de virtute fidei, idè rectè addit: dici posse, quod non per accidens, sed principaliter hanc doctrinam discipulis hoc loco proposuerit, vel quod prius eam brevibus duntaxat tetigerat, hic verò latius exponat, vel quia de re magni momenti agatur, quam aliquoties inculcari conveniens erat, ut animis discipulorum magis insisteretur, vel quia Matth. 17. vers. 20. Luc. 17. vers. 6. de fidei quantitate potissimum egerat, hic verò de fidei necessitate & virtute, tum in miraculorum operatione, tum in bonorum promissorum per orationem impetratione differat, ac simul qualitatem illius fidei, quod debeat esse sine hesitatione, exponat.* Simplicissimè respondetur, *CHRISTUM eandem doctrinam vel ob diversitatem auditorum, vel ob dignitatem rerum distinctis temporibus sæpius repetivisse, ut multis exemplis ex Evangelica historia adductis demonstrari potest, ac ne longius abeamus, doctrinam de fraterna reconciliatione, quæ hanc concionem suam concludit, jam antè aliquoties proposuerat, ut patet ex Matth. 5. vers. 23. & 24. Matth. 6. vers. 14. cap. 18. v. 35. eandem tamen etiam hoc loco & quidem iisdem ferè verbis repetit, ut necessitatem illius condonationis eò magis confirmet.* Quid ergò mirum, quod de fide, quæ reconciliationis fraternæ & omnium bonorum operum causa est, toties discipulos suos instruere voluerit. Dubium etiam alicui videri poterat, quare Christus de fide occasione hujus miraculi differere incipiat, cum ipse non virtute fidei, sed virtute propria ut Dei Filius & verus cum Patre Deus hoc miraculum ediderit? Sed ex textu circumstantiis ratio facilè apparet. Mirabantur discipuli, virtute verborum Christi ficum tam citò arefactam, Christus huic admirationi occurrit, promittens discipulis facultatem non solum similia, sed etiam majora miracula edendi, si scilicet gloria Dei illud requirat. Quia verò discipuli non poterant propria virtute miracula edere, idè necessariò fuit addenda conditio fidei, quippe quæ ad ejusmodi miracula non solum est necessaria, sed etiam sufficiens. Ac præbet hæc docendi methodus à Christo observata, quæ à mystica hujus miraculi significatione ad praxin, videlicet ad doctrinam de fide discipulos suos revocat, salutarem commonefactionem, quod non tam notitia mysteriorum debeamus esse intenti, quam salutari & necessariæ praxi in doctrina de fide & caritate nobis proposita, 1. Cor. 13. v. 2. quodque nostram porius ædificationem in miraculis à Christo editis respicere debeamus, quam mysticam eorum ad alios accommodatam expositionem,

quamvis ea ipsa quoque non sit contemnenda. His igitur in genere præmissis transitum jam facimus ad primi membri exhortationem & promissionem. *Habete, inquit Christus, fidem in Deum.* Hic verò ante omnia quæritur, quam & qualem fidem Christus intelligat. Pontificii statuunt, *fidem historicam, miraculorum & promissionum esse unam & eandem ac gradibus duntaxat differre, ut notum est ex Bellarmino lib. 1. de Justific. cap. 4. & Maldonato in cap. 9. Matthæi v. 2.* Stante hac hypothese otiose quæreretur, de qua fidei specie Christus hoc loco agat. Sed hypothese illam probare minimè possumus, 1. Quia Apostolus fidem miraculorum diserte inter peculiaria Spiritus sancti charismata, quæ *gratias gratis datas* vocant, quæ que in certis tantum personis ad Ecclesiæ ædificationem Spiritus sanctus operatur, refert, 1. Corinth. 12. vers. 9. *Alii datur fides in eodem Spiritu.* Jam verò peculiaria illa Spiritus sancti charismata à donis communibus & sanctificantibus, quæ omnibus verè piis & salvandis sunt necessaria, inter quæ eminet fides justificans, verè & realiter distinguuntur. 2. Quia fides miraculorum à fide justificante, & vicissim fides justificans à fide miraculorum abesse potest. Jam verò, quorum unum ab altero abesse potest, ea non sunt essentialiter unum. Quod fides miraculorum possit abesse à fide justificante, patet exemplo eorum, de quibus Christus testatur, Matth. 7. vers. 22. quod in die iudicii dicturi sint: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus?* quibus ipse respondurus sit, *non novi vos,* vers. 23. Patet hoc ipsum ex dicto Apostolico, 1. Corinth. 13. vers. 2. *Si habuerim omnem fidem, præterea non habebim caritatem autem non habuerim, nihil sum.* At si fides miraculorum transportans montes potest esse absque caritate, ut expressè hoc loco Apostolus asserit, & agnoscit ipse Ballarm. libr. 1. de grat. & libr. arbit. cap. 10. utique etiam potest esse sine fide justificante, quia fides justificans & caritas sunt indivulsè connexa, Gal. 5. vers. 6. Quid, quod ipse Maldonatus in cap. 7. Matth. vers. 22. *fidem miraculorum illis aliquando dari, qui non habent fidem Christianam, agnoscit?* Quod fides justificans possit esse absq; fide miraculorum, patet exemplo Johannis Baptistæ, Joh. 10. 41. & fidelium hujus temporis, qui verè in Christum credunt, & tamen dono miracula edendi non sunt instructi. 3. Quia aliter definitur fides justificans, aliter fides miraculorum. Fides justificans est fiducialis apprehensio divinæ misericordie in Christo ex Verbo Evangelii agnito nobis oblata: Fides miraculorum est fiducia divinæ potentie & benignitatis in miraculis edendis. Fides salvifica objecti loco habet meritum Christi & Dei misericordiam in Christo promissam: fides miraculorum objecti loco respicit Dei omnipotentiam. 4. Quia insignes illi effectus, quos Scriptura fidei justificanti tribuit, quod faciat nos Dei filios, Joh. 1. 12. quod purificet corda, Act. 15. 9. quod conscientiam reddat pacatam, Rom. 5. 1. quod liberet à damnatione Legis, Rom. 8. 1. quod vincat Satanam, Eph. 6. 16. & mundum, 1. Joh. 5. 4. quod afferat

afferat salutem æternam, Joh. 3. v. 16. &c. non possunt tribui fidei miraculorum. Ex quibus omnibus sic concludimus: Quorum natura, definitio, proprietates, & effecta differunt, ea non possunt esse essentialiter eadem. Jam verò fidei justificantis & *ἰσχυρῶς*, natura, definitio, proprietates & effecta differunt. Ergo 5. hoc ipsum agnoscunt pii veteres, Chrysostomus homil. 29. in 1. Cor. *fidem dogmatum*, sive dogmaticam, à *fide miraculorum* manifestè distinguit, ac in commentario Matthæi 17. vers. 20. (qui locus huic nostro parallelus est) non de dogmatum, sed miraculorum fide Christum loqui asserit, quem ibidem sequitur Euthymius. Huc referri possunt omnia illa dicta, in quibus agnoscunt, miraculorum operationem Apostolica ac primitivæ Ecclesiæ fuisse propriam, postea verò desisse, cum tamen fides justificans in Ecclesia non cessaverit. Chrysostom. homil. 6. in eandem Epistolam, Autor operis imperfecti, homil. 49. Augustinus, libro de utilitate credent. cap. 16. & libro de vera religion. cap. 25. Damascen. lib. 1. orthodox. fid. cap. 3. Gregorius, homil. 29. in Evangel. & libr. 27. moral. capite 11. Bernhardus, sermone 11. in die ascens. 6. ut & quidam ex ipsis adversariis. Tostatus, quæst. 124. in cap. 21. Matthæi: *Fides est duplex, una, quæ creduntur articuli & cætera à Deo revelata, per quorum assensum fideles dicimur, & alia, per quam miracula fieri impetrantur, quarum prima est virtus Theologica, secunda est donum.* quæst. 137. *Fides est duplex: Quædam, quæ est habitus sive virtus; & est virtus Theologica, quæ fideles sumus; alia est donum quoddam, sive gratia gratis data, primam harum omnes habemus, secundam rari de nobis habent & raro.* Salmeron. tom. 6. tract. 50. *Hæc fides, de qua Christus agit, non est illa, quæ ad justitiam & salutem est necessaria. Et potest prior consistere sine posteriori istis, qui dicunt: Nonne in nomine tuo prophetavimus, &c. Sepe etiam adest fides, quæ justificat & salvat, & non adest illa signorum operatio, quam fidem habuit Johannes Baptista, qui signum nullum edidit, & beatissima virgo Deipara.* Cum ergo fides miraculorum à fide justificante specie distinguatur (an fides historica sive dogmatica ab utraque itidem eo modo discriminetur, ut tertiam constituat speciem, de eo alibi differuimus) ideò haud immeritò queritur, de qua fidei specie verba Christi sint accipienda? Dicimus, Christum *πρώτως*, & principaliter hinc loqui de fide *ἰσχυρῶς*, sive miraculorum: *θεοτέρας*, & minùs principaliter de fide justificante sive promissionum. Prius patet 1. ex concionis hujus occasione. Admiratio discipulorum de sic miraculosè arefacta occasionem huic concioni dedit. Cum enim ipsi mirarentur virtute verborum Christi sicum subito exsiccata, Christus respondet, hoc ipsum & majora etiam miracula ab ipsis edi posse, si fide instructi fuerint, utique ergo de illa fide loquitur, quæ miracula eduntur. 2. ex predicari conditione. *Si fidem habueritis, inquit Christus, & non habestaveritis, non solum hoc, quod fieri accidit, facietis, sed etiam, si monti huic dixeritis, tollitor & projicitor in mare, fiet.* Jam verò arborum subitanea arefactio, & montium in mare transportatio est in censu & classe miraculorum. Ergo de ea fide in subjecto Christus loquitur, quæ in miraculorum operatione est occupata. 3. Ex

locorum parallelorum collatione. Matth. 17. vers. 19. cum discipuli ex Christo quærerent, quare non potuerint dæmonium ex lunatico ejicere? vers. 20. Christus ipsis respondet, propter incredulitatem ipsos id non potuisse, & addit: *Amen quippe dico vobis: Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit; & nihil impossibile erit vobis.* vers. 21. *Hoc autem genus non ejicitur, nisi per orationem & jejunium, qui locus huic nostro parallelus est.* Jam verò dæmonum ejectio est itidem opus miraculosum, Luc. 17. vers. 5. cum Apostoli rogarent ad augeri sibi fidem, Christus ipsis respondet vers. 6. *Si habereitis fidem, sicut granum sinapis, diceretis huic arbori moro, eradicare & transplantare in mare, & obediens vobis, quam arboris transplantationem non nisi miraculo fieri posse quilibet intelligit, utique ergo de fide, quæ miracula fiunt, Christus loquitur.* Cumque fides miraculorum à quibusdam distinguatur in *activam & passivam*, (Activam vocant peculiare illud Dei donum, per quod fiducia divinæ potentie miracula operantur, qui eo sunt instructi; passivam verò confidentiam illam, quæ quis statuit se participem fore beneficiorum, quæ per miracula contingunt, Marc. 9. vers. 23. Act. 14. v. 9.) manifestum est, de activa, non passiva miraculorum fide Christum propriè hic loqui. Huic sententiæ nostræ sese opponit Maldonatus in cap. 17. Matth. argumentis in medium prolatis hujusmodi: 1. *Christus reprehendit discipulos propter incredulitatem, nemo autem reprehendi potest, quod fidem miraculorum non habeat, cum sit donum Dei non ex humana, sed divina pendens voluntate.* Resp. Apostoli dono edendorum miraculorum jamdum à Christo instructi erant, Matth. 10. vers. 1. Luc. 10. vers. 9. & 19. meritò igitur à Christo reprehenduntur, quod hoc dono minùs rectè utebantur, sed per incredulitatem patiebantur illud in se extingui. 2. *Eodem modo patris adolescentis, quo Apostolorum, incredulitatem Christus reprehendit. Incredulitas autem illa, quam in Patre reprehendebat, non miraculorum, sed Christiane fidei opponebatur, quia de Christi divinitate ac potentia dubitabat.* Resp. Ut in operantibus miracula requiritur fides miraculorum *activa*, sic in percepturis beneficia per miracula requiritur fides miraculorum *passiva*, quæ firmiter statuunt se participes fore illorum beneficiorum, meritò igitur propter defectum illius fidei Pater lunatici reprehendebatur. 3. *Christus non solum reprehendendo, sed etiam exhortando hoc dicit: Si habueritis fidem, sicut granum sinapis. Habete fidem Dei, &c. Nemo autem quenguam exhortatur, ut donum miraculorum habeat, sicut neque ut habeat linguarum donum aut prophetiam, quia id in nostra non est situm potestate.* Resp. τὸ εἶναι non solum significat acquirendo aliquid habere, sed etiam donis acceptis rectè uti, tenere, quod jam antè habet, exercere dona sibi concredita, Matth. 13. v. 12. cap. 25. v. 79. Marc. 4. v. 25. &c. Quia igitur Apostoli donum miraculorum acceperant, ejusque augmentum post resurrectionem per visibilem Spiritus sancti effusionem accepturi erant, ideò Christus haud absurdè eos hortatur, ut donò illò rectè utantur, ac fidem suam in eo

in eo ac per illud exerceant. Quid, quod Apostolus, cum 1. Cor. 12. v. 28. 29. 30. de peculiaribus Spiritus sancti charismati egisset, subjicit, v. 31. Ἐλάτε τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα, quam esse exhortationem, nemo inficias iri poterit. Quamvis enim studio humano peculiaris illa charismata non potuerint acquiri, tamen poterant & debebant precibus obtineri, cum in Ecclesia adhuc vigerent, & in legitimo eorum usu diligentia piis digna requirebatur. Cum primis verò notandum, quòd Christus πρώτως & principaliter quidem de fide miraculorum hic agat; δευτέρως tamen, & consequenter de fide justificante etiam loquatur, unde haud immeritò ad fidem illam habendam discipulos poterat exhortari. Probamus hoc 1. ex *textus connexionione*. Christus sicui maledixerat, eamque maledictione suà arefecerat; discipulis hoc mirantibus respondet: *Habete fidem in Deum*, quibus verbis usum miraculi ostendit, ac tacite simul innuit, fidem esse salutare illud medium, quod adversus omnem maledictionem homines tutos reddit, omnia pietatis & salutis obstacula remonet, ac fructibus Deo gratis & acceptis foecundos eos reddit, hoc verò non de fide miraculorum, sed de fide justificante dici potest. 2. Ex *objecti conditione*. Loquitur Christus ad Apostolos, qui non erant in numero illorum θανάτων, qui Mat. 7. v. 22. & 1. Cor. 13. v. 2. describuntur, hoc est, non erant fide salvifica & caritate destituti: sed fides miraculorum cum fide justificante in illis erat conjuncta, ut ex Evangelica historia manifestum est; meritò igitur Christus sermonem suum sic attemperat, ut ad utramque fidei speciem is accommodari possit. 3. Ex *indefinita locutione*. Marcus promissionem Christi sic exprimit: *Quicumque dixerit monti huic, &c.* jam verò constat, fidem signorum esse donum peculiare, de ea igitur non potest indefinite & universaliter dici: *Quisquis dixerit monti huic*; tacite igitur innuit Christus, se de fide justificante omnibus piis communi simul agere, quæ mystico modo montes transfert, ut postea monebitur. 4. Ex *subjecta illatione*. Propterea dico vobis, quaecunque orantes petitis, credite, quod accipietis, & cum steteritis orantes, remittite, si quid habetis adversus aliquem. Fides, quæ in oratione & fraternâ condonatione sese exerit, est fides justificans. Jam verò exhortationem illam ad exercitium fidei in oratione & condonatione Christus deducit ex præmissa generali exhortatione: *Habete fidem Dei*. Utique ergo in illa non tantum vel exclusivè de fide miraculorum, sed simul & inclusivè de fide justificante agit. Primò igitur in sensu literali verba Christi de fide miraculorum explicabimus, postea in sensu mystico ad fidem justificantem eadem applicabimus. Scopus Christi est hortari discipulos, ut firmiter in Deum credant, & magnam in eam fiduciam animo concipiant, cui exhortationi annectit promissionem, fore, ut non modò illud, quod tantæ ipsis sit admirationi possibile, imò facile ipsis sit futurum, sed etiam alia, quæ magis videantur θανάτων & αδυνασιων. *Habete, inquit, fidem in Deum*. Quidam Codices Græci additum habent signum interrogationis ἐξέτε πιστω θεῷ; sed ex v. 23. immediatè subsequente apparet, contineri in verbis Christi exhortationem, cum promissio ἀπιλογικῶς ei-

dem subjiciatur. *Habete*, hoc est, curate habere, omni studio & precibus *Dei fidem*. Syrus reddidit: *Sit in vobis fides Dei*. Phrasin illam, *fidem Dei*, quidam accipiunt *qualitativè*, ut per eam idiotismo Hebraico describatur fides magna, firma & immora cum certa rei impetrandæ fiducia conjuncta, sicut *cedri Dei, montes Dei*, &c. à magnitudine sic denominantur, quia, quod magnum & præclarum, id Scriptura Deo altissimo peculiariter solet tribuere. Quidam *fidem Dei* vocari arbitrantur, quæ Deo sit gratissima, quæ etiam velit à nobis coli & honorari. Quidam intelligunt *effektivè*: *Habete fidem Dei*, hoc est, quæ est gratuitum Dei donum, quia fides miraculorum inter charismata Spiritus sancti refertur, 1. Cor. 12. v. 9. Sed rectius accipitur *objectivè*, ut *πιστις θεῷ*, sit idem quod *πιστις πρὸς τὸν θεόν*, vel, *ἐπὶ τὸν θεόν*, sicut pater Patris dicitur reverentia erga Patrem. *Habete fidem in Deum* firmam & perfectam, concipite firmam erga Deum fiduciam, quæ certi sitis, Deum præstare velle & posse, quod ab ipso speratis: unde Erasmus reddidit, *confidite Deo*, quia *fidem Dei habere*, hoc loco nihil aliud est, quàm certam fiduciam concipere, quod Deus suâ bonitate & omnipotentia præstaturus sit, quæ ab ipso expectamus, quam explicationem ratio immediatè annexa confirmat. *Amen enim dico vobis, quod si habueritis fidem, & non habueritis, non solum hoc, quod sicui accidit, facietis: verum etiam, si dixeritis monti huic, tollitor & projicitor in mare, fiet.* Particulam ἀπιλογικῶς γὰρ nec Latinus nec Syrus interpres expressit, sed in Græcis Codicibus rectè additur, exponitur enim ratio, quare fidem habere debeamus, cum tantæ sit virtutis & efficacis. Utitur Christus consuetâ particulâ asseverandi ἄμην, quia dicturus erat de re magna, quæque discipulis videbatur difficilis imò impossibilis. Sensus igitur est: Hoc certò vobis confirmo, rem hanc certam & indubitatam haberote, est enim ἀμην ex radice ἰσθν, *verax, certus, firmus fuit*. Hoc dico vobis, qui dono miracula edendi instructi estis, ac per visibilem Spiritus sancti effusionem ejus augmentum accipietis. *Si habueritis fidem, καὶ μὴ διακρίνητε*, ad verbum non *dijudicaveritis*, hoc est, si non *hæsitaveritis* per dubitationem & diffidentiam. Qui enim dubitat, diffidit atque *hæsit* vel operis difficultatem, vel suam imbecillitatem & indignitatem considerans; is sententiis altercantibus secum ipse quasi litigat ac disceptat, qualis disceptatio describitur in versibus Virgilianis:

Atq; animum celerem nunc huc nunc dividit illuc,

In partesq; rapit varias, perq; omnia versat.

Hanc significationem dubitandi & ambigendi in quodam quasi discrimine cogitationum obtinet verbum διακρίνω, Act. 10. 20. c. 11. 12. *Abi cum illis μηδὲν διακρινόμενοι*, sine ullo hæsitacionis scrupulo, quia ego misi illos. Rom. 4. 20. *In promissionem Dei, & διακρίθη τῇ ἀπιστία*, ubi προσδοκῶντος τῆς ἀπιστίας genuinam hujus vocabuli significationem declarat, quod sit ex diffidentia hæsitare. Rom. 14. v. 23. *ὁ διακρινόμενος*, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide, ubi addita fidei vocabula hanc διακρίνω certæ persuasioni oppositam esse arguit. Jac. 1. 6. *Postulet in fide, ἢδὲν διακρινόμενος*, nihil *hæsitans*. *Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento*

move-

moveretur & circumferretur, quâ similitudine fluctuantis & ambigentis animi hæsitatio pulcherrimè describitur. Syrus habet verbum *דפדפ* *divisus fuit animo, dubitavit, anceps fuit*. Possset etiam propria significatio verbi *דפדפ* *divisus*, quâ pro dijudicatione usurpatur, retineri. Si non dijudicaveritis, hoc est, discreveritis inter opus facile & difficile respectu divinæ potentia, certò confisi, DEO nihil esse difficile, nedum impossibile, sed ipsum non minùs facturum difficile, quàm facile. Qui enim rei difficultate considerata dijudicat ac discernit inter ea, quæ fieri posse vel non posse existimat, is hæsitat ac DEO diffidit, quam hæsitationem CHRISTUS à fide jubet abesse. Quod si ergo fidem habueritis & non hæsitaveritis, non solùm *in omni re facietis*, hoc est, quod facti accidit, est enim *ἐκαστος*, ac subintelligitur *τοῦ θεοῦ* *ἢ οὐκ ἔστι*, ut Gaza loquitur, hoc est, indicando, definiendoque certum quippiam: *verùm etiam, si monti huic dixeritis: Tollitor & projicitor in mare, fiet*. Pronomen cum articulo *τὸν τῶ ὄρει* innuit, CHRISTUM digitum intendisse ad montem oliveri, in cujus vicinia colloquium hoc fuit institutum, quia Bethania Hierosolymam proficiscentibus hic mons ascensu superandus, ut in Historia Regii ingressus superius monuimus. *ἀβηθα, βλῆθη*, sunt imperativa passiva, *tollitor, projicitor*; *tollitor* exprimit terminum à quo, *tollitor* è terra; *projicitor* exprimit terminum ad quem, quia additur *in mare*. Vulgata versio passivum reddidit per activum, *tolle & jacta te*, quo modo etiam Syrus vertit, *eade in mare*. Intelligitur autem mare mediterraneum juxta usitatam Scripturæ phrasin, cujus portus circa Joppen vel Japha novem leucis seu viginti milliariibus Italicis (quæ faciunt quinque Germanica) Hierosolymis distabat, quod auget hoc miraculum. Matth. 17. vers. 20. cum Christus in Galilæa existens de monte Thabor simili ferè loquendi modo uteretur, non addidit hunc terminum ad quem translationis, sed simpliciter dixit: *Si dixeritis monti huic, μεταβηθι, ἐπιβηθὲν ἐκεῖ* *transi hinc illuc*, quia cum mare propius esset, non videretur tantum miraculum. Sed hoc, ut & Luc. 17. vers. 6. cum de mori eradicatione & transplantatione ageret, addidit *καταβηθὲν ἐν τῷ θαλάσσῃ* *in mare*, ut miraculi magnitudinem ex distantia maris æstimandam magis exprimeret. Neve quis existimaret ad solos Apostolos hanc promissionem pertinere, ideò apud Marcum verba Christi indefinite exprimuntur: *Amen dico vobis, ὅτι ὅς ἂν ἐπιβῆται, quod quicumque dixerit monti huic, tollitor & mittitor in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit fore, ὅτι λέγει, quæ dicit, seu fieri jubet, ἐσται αὐτῷ, fiet, erit illi, quodcumque dixerit*. Apud Matthæum exponitur per *ἡκούσεται, continget, reipsa eveniet*, Deo votis ejus annuente, auferetur mons de terra & in mare projicietur, sicque juxta verbum ejus fiet. Duo autem circa hanc promissionem accuratè sunt notanda. Primò quod Christus loquitur *cum discipulis suis*, dono edendi miracula instructis, ac porro etiam post suam in cælos ascensionem magis instruendis, proinde indefinita locutio apud Marcum, *ὅς ἂν ἐπιβῆται*, non

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

est eò extendenda, quasi absolute & simpliciter sit promissio universalis, ad quosvis omninò pertinens, sed referenda duntaxat ad eos, qui donum miraculorum divinitus acceperunt, quales fuisse quamplurimos, Apostolorum tempora proximè secutos, ex Historia Ecclesiastica constat. Iren. lib. 2. advers. hæres. c. 57. p. 160. Euseb. lib. 5. Eccles. Histor. cap. 7. &c. De charissimasi enim illis peculiaribus, inter quæ etiam est fides signorum, Apostolus pronunciat 1. Cor. 12. v. 11. quod Spiritus Sanctus *distribuat singulis, prout ipse vult*, non prout homines volunt, atque hic vel maxime locum habet illud Johannis Baptistæ: *Non potest homo quicquam accipere, nisi datum illi fuerit de cælo*. Placuit autem Christo indefinita locutione uti, tum ut ostenderet, præter Apostolos etiam alios miraculorum dono in Ecclesia fore instructos, tum ut innueret, se non tantum de fide signorum, sed simul de fide justificante, omnibus piis communi, hoc loco agere, ut superius etiam monuimus. Deinde quod necessario subintelligenda sit illa conditio, si gloria Dei & salus hominum in confirmatione cælestis veritatis tale quid postulaverit. Nam nec illis, quibus donum miraculorum divinitus est concessum, absoluta potestas datur, quidvis quovis tempore miraculosè faciendi, sed Spiritus fidei ipsis dicitur, quid necessarium atque utile sit ad Dei gloriam & Ecclesiæ salutem, proinde Spiritus ductum, non autem temerariam carnis præsumptionem in eisdem miraculis ipsos sequi oportet. Fidei enim nihil magis adversum, quàm temeraria stolidæ carnis vota, quæ mortificanda potius, quàm quod illis sit indulgendum. Quia verò ne ipsi quidem Apostoli uspiam leguntur montes transtulisse, inde nascitur quæstio, quomodo huic promissioni Christi sua constet veritas? 1. Hieronymus in cap. 21. Matth. respondet, Apostolos omninò transtulisse montes, licet non fuerit hoc à Scriptoribus Ecclesiasticis annotatum. *Larrant, inquit, contra nos gentilium canes, &c. asserentes Apostolos non habuisse fidem, quia montes transferre non potuerint, quibus respondemus, multa facta esse signa à Domino, quæ scripta non sunt. Igitur & hæc credimus fecisse Apostolos, sed ideo scripta non esse, ne infidelibus contradicendi major daretur occasio, alioquin interrogemus eos, utrum credant his signis, quæ scripta narrantur, an non? Et cum incredulos invenerimus, consequenter probabimus, neque majoribus eos fuisse credituros, qui minoribus non crediderunt.* 2. Quidam respondent, *Apostolos majora fecisse miracula, quàm est montium translatio*. Sunt enim tres miraculorum gradus, quatenus operatio aliqua tripliciter excedit facultatem Naturæ. Primò quantum ad substantiam facti, scilicet, quia illam rem Natura nunquam potest facere, nec per illam viam nec per aliam, nec in illo subjecto neque in alio. Tale miraculum est Solis retrocessio & corporis humani glorificatio. Secundus gradus est, quando operatio excedit facultatem Naturæ, non quantum ad substantiam facti, sed quantum ad subjectum, ut suscitatio mortuorum, illuminatio cæcorum, sanatio maximorum morborum, &c. Tertius gradus est, quando operatio excedit facultatem Naturæ, non quantum ad sub-

Aa

stan-

stantiam facti, nec quantum ad subjectum, in quo fit, sed quantum ad modum & ordinem faciendi. Tale miraculum est arefactio ficus & translatio montis, quia ficus per Naturam potest exarescere, sed non tam subito, mons potest jactari in mare, sed non uno impetu. Miracula primi gradus sunt majora, quàm secundi & tertii gradus, & miracula secundi gradus sunt majora, quàm tertii gradus, quia quantò magis elongantur à facultate Naturæ, tantò sunt majora. Quamvis ergo Apostoli realiter non transtulerint montes, tamen potest de illis certo respectu dici, quod transtulerint montes, quia fecerunt alia majora, quàm est translatio montium, quando scilicet mortuos suscitaverunt, cæcos illuminarunt. Jam verò quodlibet majus continet minora in virtute. Lyra in comm. Marc. 11. 3. Quidam respondent: Apostolos non quidem visibiles & corporeos montes transtulisse, interim tamen spirituales montes verè ab ipsis fuisse transportatos. Variant autem in hac mystica explicatione. Hieronymus in cap. 17. Matth. per montem intelligit Diabolum, argumento eo, quod de ejectione Dæmonii in præcedentibus actum fuerit. Montis, inquit, translatio non ejus significatur, quem oculis carnis aspiciamus, sed illius, qui à Domino translatus fuerat ex Lunatico. Quod enim ait, dicetis monti huic, transi hinc & transibit, de Dæmone intelligitur. Ex quo stultitia coarguendi sunt, qui contendunt, Apostolos omnesq; credentes ne parvam quidem habuisse fidem, quia nullus eorum montes transtulerit. Neque enim tantum prodest montis de alio in alium locum translatio, & vana signorum quærenda ostentatio, quantum in utilitatem omnium iste mons transferendus est, qui per Prophetam dicitur corrumpere omnem terram. (intelligit locum Jerem. 51. vers. 25. Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis universam terram.) Idem in cap. 21. Matthæi: Nos per montem intelligimus Diabolum superbientem & jactantem se contra creatorem suum, qui à Propheta mons corruptus appellatur. Et cum animam hominis possederit, & in ea fuerit radicans, ab Apostolis & his, qui similes Apostolorum sunt, transferri potest in mare, hoc est, in loca falsa & fluctuantia & amara, quæ nullam habent dulcedinem Dei, & apud incredulorum mentem, ut porcorum duo millia suffocari. Eodem modo exponit Ambrosius in Psalm. 45. & Beda in cap. 21. Matthæi, ac cap. 11. Marc. Mystice, inquit, propter superbiam Diabolus exprimitur, qui prædicantibus verbum Doctōribus, & ab eorum cordibus repellitur, qui ad vitam sunt præordinati & in turbulentis amarioribus insidelium mentibus vesaniam suæ tyrannidis exercere permittitur, ac tanto acius in eos deservit, quanto amplius dolet à lesione piorum se fuisse depulsum. Euthym. in cap. 21. Matthæi. Per montem Diabolus intelligitur, propter elationem, per mare verò abyssus & chaos sive vorago inferni. Huic expositioni affinis est ea, quam August. lib. 1. quæst. Evang. c. 29. & Theophyl. in c. 11. proponunt, quæ per montem intelligitur superbia, quam Apostoli superarunt, eamque in mare, hoc est, ad seculares & mundanos transtulerunt. Idem Augustin. d. loc. per montem, modo planè contrario, intelligit Christum, qui comparatur lapidi sine manibus à monte abscisso Dan. 2. v. 34. Is enim per Evangelii prædicationem ministerio

Apostolorum peractam à Judæis ad Gentes sive populos multos, qui per mare significari solent, Apoc. 17. v. 15. est translatus, quam explicationem sequitur glossa interlinearis. Commodius fortasse per montes (si mysticum sectari velimus sensum) intelligi possent varia illa impedimenta, quæ in Evangelii cursu Satanas Princeps hujus mundi eis objecit, ipsi verò fide ea superarunt & removerunt, 2. Cor. 10. v. 4. & 5. ubi vox *ὑψώματ* ad montium altitudinem alludere videtur. 4. Quidam respondent, licet Apostoli non transtulerint montes, alios tamen Apostolis longè minores id fecisse, Beda in cap. 11. Marci. Legimus factum precibus B. Patris Gregorii Neo-Cæsareæ Ponti Antistitis, viri meritis & virtutibus eximii, ut mons in terra tantum loco cederet, quantum incola civitatis opus habebant. Cùm enim volens adificare Ecclesiam in loco apto, videret eum angustiorem esse, quàm res exigebat, eò quod ex una parte rupe maris, ex alia monte proximo coartaretur, venit nocte ad locum, & genibus flexis admonuit Dominum promissionis suæ, ut montem longius juxta fidem petentis ageret. Et manè factò reversus, invenit montem tantum spaciū reliquisse structoribus Ecclesie, quantum opus habuerant. Simile quid de hoc Gregorio Thaumaturgo commemorat Gregorius Nyssenus in ipsius vita, pag. 299. quomodo scilicet ingens saxum repente loco moverit. Nonnosum Canobii Præfectum in monte Soractes sola oratione rupem loco movisse, refert Gregorius Magnus lib. 1. Dial. cap. 7. Quomodo mulier captiva Christiana apud Iberos coluntiam nullis machinis movendam precibus susponderit, memorant Rufinus lib. 1. Hist. cap. 10. Socrates lib. 1. c. 20. Sozomen. lib. 2. c. 6. Possent etiam hic referri, quod Guilielmus Postellus in Compend. Cosmograph. & Marcus Paulus Venerus lib. 1. de region. Orient. c. 18. memorant, Christianis, qui in Perside circa Taurisum erant, Saracenum Calipham doctrinæ Christianæ falsitatem objecisse, quod Christus dixisset, fore, ut si quis fidem haberet, montes suo moveret loco. Itaque coëgisse illos, ut vel fide & oratione dogma hoc verum esse ostenderent, vel Mahumetis perfidiam reciperent, vel simul omnes denique perirent. Illis igitur ad preces conversis quendam fide & spe plenum confortatis cæteris dixisse: Turo zel men hosso Bfemo de Jesua Msecho Moram, hoc est: Abi mons hinc in nomine Domini nostri Jesu Christi, confestimque montem emorum sede sua permultis Saracenis amplectendæ religionis Christianæ occasionem præbuisset. Hæc responsiones ferè omnes recitat Chrysostom. homil. 58. in Matthæum: Si verò quispiam dicit, & quando montes transtulerunt Apostoli? Respondendum, quia multo majora fecerunt, multos enim mortuos excitaverunt: æquale guppe non est, montes transponere, & animam hominis revocare. Dicunt autem nonnulli, postea quosdam sanctitate illis multò minores id re potestante fecisse. Unde patet, quia si opus fuisset, montes quoque transtulissent; ideo non dixit, transponetis omnino montes, sed transponere poteritis. Si autem non fecerunt, non est argumentum impotentia, majora enim ab ipsis facta non ignoramus, sed quoniam res non potest laverat, noluerunt: quamvis possit etiam tale aliquid factum esse & non scriptum, non enim omnia Sanctorum miracula sunt scripta. 5. Simplificissime respon-

spondetur, per montium translationem *συνεδο-
χικός* quamvis rem arduam ac difficilem adeoq;
humanæ rationi impossibilem visam intelligi,
unde Matt. 17. v. 20. ubi eadem promissio propo-
nitur, additur generalis clausula, *καὶ ἰδὲν ἀδυνατί-
σθαι οὐκ ἔστιν*, quam phrasin LXX. usurpant de illis, quæ
non possunt humanâ facultate, sed divinâ tan-
tùm virtute fieri. Gen. 18. v. 14. 2. Paral. 14. v. 11.
ac Luc. 17. v. 6. in specie exprimitur *motus*, quod
evidenter ostendit, synecdochicè hæc esse acci-
pienda. Solent enim Hebræi unam aliquam spe-
ciem ponere, ut ex ea de genere iudicium fiat, ac
videtur tum temporis fuisse proverbialis locu-
tio, ut si quis de re per Naturam impossibili ver-
ca facere vellet, *translationem montium* exempli lo-
co adduceret, unde etiam Apostolus de miracu-
lis maximis disserens, sic loquitur 1. Cor. 13. 2. *Si
habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, carita-
tem autem non habeam, nihil sum.* Patet hoc ex ipso
contextu. Cum enim discipuli ad subitanam fic-
us arefactionem stuperent, Christus ad conside-
randam fidei virtutem eos excitat, quippe quâ
non solum ficus arefactio, sed etiam montis in
mare translatio, hoc est, quodvis per Naturam
alioqui impossibile fieri possit, ac, si gloria Dei &
confirmatio doctrinæ cœlestis requireret, etiam
montium translationem virtute fidei peragi
posse docet. Job. 9. v. 5. per translationem monti-
um divina potentia exprimitur: sic h.l. ex specie
intelligitur genus, quod Apostoli virtute divini-
tatis sibi concessa magna miracula sint edituri.
Proinde non tam quid Apostoli facerent vel factu-
ri essent, quam quid necessitate ita exigente
facere possent, & quam faciendi potestatem ha-
berent, verbis hæc demonstrat, ita ut verba illa:
dixitis monti huic, accipiantur sensu eo, dicere po-
teritis huic monti, verba enim activa apud He-
bræos sæpius ponuntur pro verbis facultatem sig-
nificantibus Job. 9. v. 7. Ps. 22. v. 18. Prov. 20. v. 9.
Esaï. 49. v. 15. Zachar. 2. v. 4. Matth. 7. v. 16. Rom.
10. v. 14. &c. Christus ergo non docet, temerario
ausu montes transportare velle, sed fidei virtu-
tem nobis commendat, quod nihil sit tam diffi-
cile atq; arduum, imò impossibile humano iudicio
visum, quin fide firmâ & constanti, ubi scilicet
Dei gloria illud poposcerit, effici possit. Quam-
vis igitur Apostoli fortè nunquam transfererint
montes, veritati tamen verborum Christi ex eo
nihil decedit, quia potestatem habuerunt illud
faciendi, cum longè majora fecerint, quando
scil. umbrâ suâ morbos sanarunt & mortuos in
vitam revocarunt, quod Naturæ est prorsus *ἀδύ-
νατος*, cum demigratio & translatio montium ali-
quando fiat virtute Naturæ, videlicet in terræ
motu. Quod verò potestatem illam transferendi
montes actu forte nunquam exeruerint, factum
est ex eo, quod gloria Dei & hominum salus tale
quid ab ipsis fieri nunquam postulaverit. Confir-
matur hæc interpretatio ex eo, quod Christus
δευτερώς dicit: *Si dixeritis huic monti*, olivaram
montem denotans. Illum enim loco suo motum
& in mare translatus fuisse nulla memorant Hi-
storia. Ideo autem Christus digito indice mon-
tem illum monstravit, ut virtutem fidei magis
exprimeret. Rudes enim magis moventur sin-
gularibus, & quia considerabant magnitudinem

montis in oculos incurrentem, ideò cum majori
difficultate illius montis translatio videbatur
conjuncta, nihilo tamen minus Christus sanctè
confirmat, si Dei gloria & peculiaris quædam vo-
catio postularret, ut hunc ipsum, quem presen-
tem contuebantur, montem aliorum dimove-
rent, ac firmiter statuerent, hoc futurum, tunc
montem loco motum iri. Atque hæc etiam est
causa, quare Christus rem difficilem & Naturæ
impossibilem propositurus, translationem mon-
tis exempli loco afferat, quæ ad tertium genus
miraculorum pertinet; cum tamen miracula pri-
mi & secundi generis sint majora, quia discipuli
jamdum viderant miracula priorum generum,
sed translationem montis nunquam viderant,
ideo eam iudicabant majus miraculum; præte-
rea, quæ per motum fiunt, ea magis incurrunt in
sensus, unde à rudioribus, quales tum temporis
erant Apostoli, pro majoribus habentur.

Quia verò superius monuimus, verba Chri-
sti etiam ac fidem justificantem & salvificam ac-
commodari posse, ideò monstranda est etiam
hæc applicatio. 1. Sicut Christus sæpius hortatur
discipulos, & sub eorum nomine omnes salvan-
dos, ut in se credant Johan. 12. vers. 36. cap. 14.
vers. 1. ita quoque hoc loco dicit: *Habete fidem in
Deum*, hoc est, in Patrem & me, qui sum verus
cum Patre Deus, credite. Hæc fides requiritur
à nobis in primo præcepto. Quando enim ju-
bemur Deum agnoscere & invocare, ut nostrum
Deum, utique ipsi soli confidere, & omnem cor-
dis nostri fiduciam in ipsum ponere jubemur.
Ac quamvis lex ignoraret, Christum Mediato-
rem, tamen quando in Evangelio hoc fidei ob-
jectum, videlicet Christus Mediator cum suis be-
neficiis monstratur, tunc lex Evangelii luce col-
lustrata in Christum credere præcipit. Eandem
fidem profitemur in Symbolo Apostolico, quan-
do dicimus: *Credo in Deum Patrem, Filium & Spi-
ritum sanctum, credo remissionem peccatorum*, videlicet
propter Christum Mediatorem promissam. Eandem
exerimus in oratione Dominica, quando
Deum ut Patrem nostrum in precibus compel-
lamus, quod non potest fieri absq; filiali fiducia,
ex fide in Christum orta, quando etiam vocula
Amen, quod est verbum fidei, velut signaculo
quodam orationem illam obfirmamus. Eandem
confirmant Sacramenta, quæ sunt visibilia in-
visibilis gratiæ signa. 2. Hæc fides salvifica me-
ritò vocatur *fides Dei*, non solum, quia est gratui-
tum Dei donum, cum non oriatur ex naturalibus
liberi arbitrii in cordibus, sed per Spiritum
S. mediante luce verbi in cordibus nostris accen-
datur Matth. 16. vers. 17. Phil. 1. vers. 29. &c. nec
solum, quia est Deo grata & accepta Johan. 6.
vers. 29. Heb. 11. vers. 6. sed etiam, ac vel maxi-
mè, quia adæquatum hujus fidei objectum est,
Deus in verbo manifestatus, sive quod idem est,
revelatum Dei verbum, inque eo promissio gra-
tiæ propter Christum Mediatorem, quem fides
hæc unice amplectitur, unde vocatur fides Chri-
sti, hoc est, in Christum Apoc. 2. vers. 13. cap.
14. vers. 12. 3. Proprium hujus fidei est *μη διστα-
σκειν non hesitare*, vel dubitare, sed firmam fidu-
ciam *παρρησιας* ac *πληροφροσύνης* habere, cujus rei
exemplum proponitur in Abrahamo omnium

verè credentium patre Rom. 4. v. 11. qui *contra spem in spem credidit* v. 18. *Nec infirmatus est fide, cum consideraret corpus suum emortuum.* v. 19. *Nec in promissione Dei hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo* v. 20. *ὁδὸς ὁποῦν θεῖς*, plenissime sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est etiam prestare v. 21. Pari ratione etiam nos habemus in Christo *παροργιστῶν* & accessum *ἐν ἀνεπιθυμίᾳ* per fidem Ephes. 3. v. 12. 4. Per hanc fidem etiam montes transferre possumus, hoc est, quævis ad salutem necessaria impetrare, quævis obstacula & impedimenta superare, quamvis rationi humanæ & carnis nostræ iudicio ea videantur difficilia, imò insuperabilia, quam explicationem confirmat ipse Christus, quando specialem hanc promissionem de translatione montium per fidem amplificat generali, quæ promittit nobis impetrationem omnium, quæ petierimus ex fide. Quid enim? an non montes quasi transferimus, quando peccata nostra, quæ sunt instar magnorum montium, lucem gratiæ impediunt, quæque sunt onus æternæ longè gravius Ps. 38. vers. 5. per fidem in Christum *Agnum illum Dei tollentem peccata mundi* Johan. 1. v. 29. imponimus, ut hac ratione in profundum maris divinæ misericordiæ projiciantur? Mich. 7. vers. 19. An non montes transferimus, quando rationem nostram sub obsequium Christi captivamus? 2. Cor. 10. vers. 5. certè in mysteriis fidei ratio sese opponit instar prægrandis montis, cuius altitudo deijcienda & destruenda per fidem, quæ verbum Dei veracissimum & omnipotentem ejus virtutem intuetur. An non montes transferimus, quando gravissima illa obstacula & impedimenta, quæ in cursu pietatis & bonorum operum Satan, mundus & caro nostra, tanquam montes quosdam nobis objiciunt, ut ad vitiorum devia declinemus, fide superamus? 1. Joh. 5. v. 4. *Fides nostra est victoria, quæ vincit mundum* 1. Petr. 5. v. 9. *Resistite Diabolo fortes in fide.* Ephes. 6. v. 16. *Sicut fidei possumus extinguere omnia tela nequissimi.* An non montes transferimus, quando gravissimas tentationes de absoluta electionis particularitate, de nostra indignitate &c. à Satana nobis instar præruptorum montium objectas, fide vincimus? Tunc verè *mons magnus igne ardens in mare mittitur*, Apoc. 8. v. 8. quando tentationes Diaboli, qui propter superbiam monti comparatur, & iræ flammis adversus nos ardet, fide superamus. An non montes transferimus, quando difficultates, quæ in vocatione communi & speciali nobis objiciuntur, fide movemus, quando curas ac sollicitudines nostras, magnos certè montes, in Dominum rejicimus? Psalm. 55. v. 22. 1. Petr. 5. vers. 7. Cum Zorobabeli post reditum ex Babylonica captivitate templum exstruere paranti multa objicerentur, quæ opus illud non tantum difficile, sed etiam impossibile reddere videbantur, ea omnia in Spiritu prævidens Propheta dicit Zachar. 4. v. 7. *Quis tu, ô mons magne, coram Zorobabel: sed mox ipsi Spiritus respondet; in planiciem redigeris.* An non montes transferimus, quando persecutiones instar magnorum montium Ecclesiæ impendentes fide & precibus avertimus? Jerem. 51. vers. 25. Zachar. 4. v. 7. *Non timebimus, inquit pii Psalm. 46. vers. 2. si terra loco*

suo moveretur, & montes in cor maris præcipitentur, hoc est, si vel cælum terræ miscerent hostes nostri, ubi gravissimæ persecutiones hac phrasi exprimuntur, quas pii vera fide superant, dicentes: *Dominus nostrum refugium & virtus.* Fide *περιεβή* Enoch, ne videret mortem Hebr. 11. vers. 5. fide etiam nos transferimus ex morte in vitam 1. Johan. 3. vers. 24. ex terra in cælum, hoc longè majus opus ac beneficium est, quam montium translatio. Ac si rem rectè expendere velimus, fidei justificantis perpetua quasi actio est montium translatio. Montis instar est caro nostra, quæ vel cæcis & stolidis affectibus vel zelo inconsiderato inflata negotium nobis facessit, ut difficultates nobis fingamus. Montis instar est Satan, qui intus & foris multa nobis objicit, ut vel securos faciat vel in desperationem conjiciat. Mundus ipse, cum è terræ filiis constet, novos quotidie montes, ut olim de gigantibus Poëtæ fabulati sunt, quasi congerit, quibus regnum cælorum expugnare nititur, ne ullum in terris locum illud habeat. Montis instar est maledictio legis, gravissimo pondere propter peccata nos premens. Montis instar mors est, quem ascensu prius superare oportet, antequam ad cælestem Hierosolimam perveniamus. Quoties igitur fide carnis suggestiones, Diaboli tentationes, mundi persecutiones, legis maledictiones, mortis oppugnationes superamus, toties montes juxta hanc Christi promissionem transferimus.

Colligimus autem ex hoc primo responsionis Christi membro: 1. Usum miraculorum esse, tum ut de persona & beneficiis Christi testentur, tum ut fidem Ecclesiæ confirmet, quod *arcos*, hoc est, insuperabiles montes Zachar. 6. v. 1. Deus è medio tollere velit, adeoque ea, quæ humanis viribus effici nequeunt, præstare, si Ecclesiæ & piorum salus ita requirat. 2. Cum tanta vis sit fidei, ut omnia obstacula per eam superari possint, neque quicquam sit tam arduum ac difficile, quod per illam perfici nequeat, seris Deum precemur gemitibus, ut *fidem in nobis augeat* Luc. 17. vers. 5. per quam petamus & impetremus ea, quæ ad nominis divinæ gloriam faciant & ad salutem nostram nobis sint utilia. 3. In fidei & hæsitationis oppositione describitur carnis nostræ ingenium. Ea enim si quid arduum aut grave suscipiendum, intra se ipsam quasi altercari ac diversis sententiis & cogitationibus distrahi solet, modò in hanc, modò in illam partem fluctuando. Sed contra illas fluctuationes fidem nostram confirmare debemus consideratione divinæ bonitatis, veritatis, sapientiæ & potentiæ. 4. Quod fidei evidenter hic opponitur *ἀσέβεια*, hæsitatio ac dubitatio, opponendum est Pontificiis, qui dubitationem de gratia Dei & peccatorum remissione docent, eamque humilitatis nomine commendant, cum tamen non solum hoc loco, sed etiam alibi dubitatio è diametro fidei opponatur. 1. Tim. 2. vers. 8. Jac. 1. v. 6. & 7. &c. inde Tostatus q. 127. rectè monet: *Particulam illam: Et non hæsitaveritis, non esse quandam additionem, cum non hæsitare includatur in ratione fidei, sed esse potius expositionem, sicut definitio explicat definitum. Nam hæsitare non facit fidem solum esse imperfectam, sed prorsus facit fidem non esse,*

cum sit limitatio distrabens, sicut mortuus ad hominem. Et ratio est, quia alias opinio non differret à fide. Nam opinio facit assentiri cum formidine ad oppositum. Si autem fides adhuc hesitationem haberet, cum formidine assentiretur, & esset opinio. 5. Dubitationi, quæ post lapsum per Naturam nobis inhaeret, opponenda est immota divinarum promissionum firmitas Num. 23. v. 19. Rom. 3. v. 4. 2. Tim. 2. vers. 13. juramenti divini stabilitas Hebr. 6. v. 16. Sacramentorum utilitas, Spiritus sancti in cordibus testificantis veritas. Ro. 8. v. 16. 2. Cor. 1. v. 21. exauditionis promissæ infallibilitas Matth. 18. v. 19. Johan. 16. v. 23. veræ fidei proprietates, quippe quæ est πίστις, ἀληθεία, πεποιθήσις, παραρημία, ἰσχυροῦς &c. ac dubitationis deformitas 1. Johan. 5. vers. 10. *Qui non credit Deo, mendacem facit eum.* Sicut in vasculum, quod continuè movetur, non potest infundi liquor, ita gratia Dei non intrat in cor dubitationibus fluctuans. Quamvis verò nostræ indignitatis & infirmitatis consideratio causam dubitationis nobis objiciat, tamen fides nostra debet respicere Dei verbum, quod bonitatem, omnipotentiam ac veritatem ejus nobis proponit; cumque fides non nitatur nec niti etiam debeat nostrâ dignitate, sed unice Dei verbo & promissione gratiæ in verbo Evangelii propter Christum nobis oblatae, ideò etiam consideratio nostræ indignitatis certitudinem fidei minimè labefactare in nobis debet. 6. Si fidem habemus ac videmus quosdam non proferre fructus bonorum operum, sed esse penitus infrugiferos Tit. 3. v. 14. imò etiam malos proferre fructus, contemptum scilicet verbi, inobædientiam, libidines, &c. possumus maledicere & excommunicare, quâ potestate licebit nobis uti non solum adversus ficos, hoc est, homines plebeios, sed etiam adversus montes, hoc est, magnates & potentes, qui montium nomine intelliguntur Psal. 68. v. 17. Psal. 104. v. 32. Ezechiel. 35. v. 7.

In altero responsionis membro proponitur exhortatio ad fiduciam in precibus concipiendam, annexa promissione, quod impetraturi simus, quæcunque tali fiducia petimus. Propterea dico vobis, quæcunque orantes petitis, credite quod accipietis, & erunt vobis. Et omnia, quæcunque petieritis in precatione credentes, accipietis. Conjungitur hoc membrum cum priore per particulam illationis διὸ τὸτο, quæ ostendit per quandam consequentiam illud ex prioribus deduci. Quia tanta vis est fidei, ut per eam etiam montes transferri possint, ideò vos moneo, ut in oratione illam exeratis, hac enim ratione quævis necessaria infallibiliter impetrare poteritis. Potest autem hæc connexio de multis utiliter nos monere. Primò enim ostendit Christus, firmam in Deum fiduciam non tantum ad miracula faciendâ efficacem esse, sed etiam ad impetrandum quævis à Deo per preces, proinde etiam exhortationem illam, habere fidem in Deum, non tantum ad θαυμάσια, sed in genere ad omnes homines suo modo pertinere. 2. Describitur etiam in hoc membro modus, quo fides ejusmodi miracula agit, implorando scilicet auxilium Dei per preces. Neque enim eo modo, quo Christus, propria scilicet virtute divina, reliqui homines miracula

Harm. Tom. II. vel Gerhardi Contin. pars prima.

edere possunt, sed auxilio Dei precibus implorato. Matth. 17. v. 21. Act. 3. v. 12. Fides in se ac per se tantæ virtutis non est, ut montes transferat, sed ideò hoc opus ipsi adscribitur, quia est medium, per quod à Deo potestatem talia operandi accipimus. 3. Quia fides per preces sese exerit & ad thesauros gratiæ divinæ in verbo monstratos penetrat, ut illis fruatur, Eph. 3. v. 12. ideò doctrinæ de fide Christus immediatè subjungit doctrinam de invocatione. Qui vera fide præditi sunt, precibus eam testatam reddant, & quamprimum aliquid periculi impendet, quamprimum se bono aliquo indigere agnoscunt, ad preces se convertunt, & ex fonte divinæ bonitatis ac veluti situla aquas salutis haurient. Sicut ignis fumum aliquem ex se sursum mittit, sic fidei ignis in corde accensus per odora menta precum sursum ad Deum ascendit. Apoc. 8. vers. 4. Non solum vera fides conjuncta est cum invocatione, sed etiam non placet Deo invocatio, quæ non proficiscitur ex fide Rom. 10. v. 14. Hebr. 11. vers. 6. Odora menta & suffitus in Vet. Testam. non placebant Deo, nisi accenderentur per ignem cælo delapsum, unde graviter puniuntur, qui alieno igne sacrificare & suffire volebant Levit. 10. vers. 1. Sic nulla precum odora menta Deo placent, quæ non proficiscuntur ex vera in Christum fide. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, id dabit vobis,* ait Christus Joh. 16. vers. 23. Ergo à contrario sensu, quod non petimus in Christi nomine, id est, ex vera in Christum fide, illud non impetramus, nec talis precatio Deo placet. Christus est ille Angelus, de cujus manu ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum coram Deo, id est, per Christum orationibus sanctorum additur pondus, ut Deo placeant & exaudiantur Apoc. 8. vers. 4. 5. Per hanc fidei non hæsitantis & orationis connexionem refellit argumentum Pontificiorum, quo fidem specialem, qua firmiter statuimus propter Christum nobis remissa esse peccata, oppugnant. Bellarm. lib. 1. de Justif. cap. 10. *Fides specialis tollit è medio orationem.* Si enim certò atque ex fide credere debeo mihi peccata per Christum esse remissa, non possum cum publicano dicere, Deus propitius esto mihi peccatori: aut cum Apostolis & Ecclesia universa, dimitte nobis debita nostra. Atque si fides specialis tolleret è medio orationem, quomodo Christus fidem & orationem nexu indivulso hic conjungeret? quomodo Apostolus diceret, nos fide justificatos cum fiducia ad thronum gratiæ accedere, clamantes Abba Pater Rom. 5. vers. 1. Hebr. 4. vers. 16. quomodo Augustinus verè affirmare posset sermon. 36. de verbo Domini? *Fides fundit orationem & oratio fusa fidei impetrat firmitatem.* Tantum verò abest, ut fides specialis tollat orationem, ut vera & Deo grata oratio potius prærequirat fidem. Nunquam enim Deum ex filiali fiducia compellabimus ut Patrem, nisi de ipsius gratia & peccatorum remissione per fidem simus certi Gal. 4. 16. Quotidie remiss. peccatorum petimus, non quod de remissione dubitemus, sed quia precibus ex fide profectis quotidiana peccatorum remissio à Deo nobis impetranda, cum quotidie peccemus. Hæc omnia Christus in memoriam nobis revocat, quando doctrinæ de fidei virtute doctrinam

de invocatione subjungit. Quia vero novit de precum efficacia naturales in corde nostro dubitationes hærere, ideò confirmationis causâ præmittit, ego, qui sum ipsa veritas Joh. 14. v. 6. cujus verba sunt cælo ac terra firmiora Luc. 21. v. 13. ego, inquam, dico vobis Joh. 16. v. 23. addit juramentum, ut promissionis veritatem magis confirmet. Amen, amen dico vobis. Omnia, quæcunque petieritis προσευχόμενοι precando vel inter precandum, ἐν τῇ προσευχῇ, ut est apud Matthæum, credite, id est, firma & indubitata fiducia statuite, quod ea accepturi sitis, λαμβάνετε præfens est, quod pro futuro ponitur, sed non sine magna emphasi, loquitur enim Christus de re futura, tanquam de præsentem, ut ad majorem confidentiam nos hortetur. Regius Codex pro λαμβάνετε habet præteritum ἐλάβετε, quod majorem adhuc emphasin habet. Tam firmiter credite, vos ea, quæ petitis, accepturos, ac si jamdum ea impetrassetis. Prophetis enim in more positum propter rerum certitudinem præteritis uti pro futuris. Promissionem breviter complectitur Marcus, ἡγὶς ἐσται ὑμῖν, erunt, contingent vobis, dabuntur à Deo infallibiliter, & quidem eò certius, quò credideritis perfectius. Matthæus hanc promissionem latius declarat. Et omnia, quæcunque petieritis in precatione, credentes accipietis, ubi τὸ πιστεύοντες pertinet ad descriptionem subjecti, & includit quandam conditionem. Si credideritis, si fide firma & immota instructi fueritis, nihil dubitantes de potentia DEI, quin possit dare, nec diffidentes de benignitate ejus, quin velit dare, accipietis. Quod enim προσδιορισμός ille & non hesitaveritis, ex membro præcedente hic sit repetendus, patet ex Jac. 1. v. 6. *posulet in fide nihil hesitans.*

Principalis igitur hujus secundi membri doctrina est de oratione, cujus necessarium requisitum & salutarē effectum Christus hic describit. Necessarium requisitum est fides, quæ est veluti anima & forma precum. Quando autem docetur, quod preces debeant proficisci ex fide, ad tria potissimum respectus habetur. Primò quod preces nostræ niti debeant verbo Ps. 27. v. 8. *Cor meum proponit tibi verbum tuum*, alias non promanant ex fide, est enim inter verbum & fidem perpetua relatio. Illa ergo omnia per preces quæ sita accipiemus, quæ ut precemur, Deus ipse verbo suo definivit 1. Joh. 5. v. 14. *Hæc est fiducia, quam habemus apud Deum, quod si petierimus secundum voluntatem ipsius (in verbo revelatam) audit nos.* Et quia Christus ipse formulam precationis nobis præscripsit Matth. 6. v. 9. Luc. 11. v. 2. adeam in precibus nostris respiciamus, tunc enim credere possumus nos exaudiri, quando ea petimus, quæ in oratione Dominica expressa, vel illi sunt conformia, August. Epist. 121, cap. 12. *Quamlibet alia verba dicamus, nihil aliud dicimus, quam in ista Dominica oratione positum est, si rectè & congruenter oramus.* Secundò quod fide beneficia Christi Mediatoris amplecti debeamus, ut persona prius Deo reconcilietur. Nisi enim per Christum & propter Christum remissionem peccatorum accipiamus & Deo reconciliemur, non poterunt ipsi preces nostræ placere Hebr. 11. vers. 6. Nemo placet Deo, nisi in Christo & per Christum, sic nulla oratio potest esse Deo grata, quæ non offertur per Filium sive in nomi-

ne Christi Mediatoris. Quemadmodum in Vet. Testam. nulla placebant Deo sacrificia, nisi quæ altari divinitus constituto imponebantur, sic nulla precum sacrificia Deus acceptat, nisi fide in Christum offerantur. *Nulla est grata Deo, nisi Christus Filius, ara.* Aug. in Psal. 108. *Oratio, quæ non sit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa sit peccatum.* Tertiò quod firma fide statuerere debeamus nos impetraturos, quicquid per Christum & propter Christum petimus, cujus fiducia fulcrum principale est veracissimi & omnipotentis Dei promissio de exauditione plus centies in Scripturis repetita. Psal. 50. v. 15. Esa. 65. v. 24. Matth. 7. v. 7. c. 18. v. 19. Luc. 11. v. 9. Joh. 14. v. 13. cap. 16. v. 23. Jac. 1. v. 6. 1. Joh. 3. v. 22. cap. 5. v. 15. &c. Hanc promissionem, quam Christus juramento confirmavit, quam Spiritus sanctus in corde nostro interius obsignat, fides debet fixis oculis intueri, eique firmiter inniti, ut certam de exauditione precum fiduciam concipiat. Quem enim invocamus? Patrem, Fratrem, Advocatum. Quo ausu? Patre jubente, Fratre instituyente, Advocato impellente. Qua fiducia? Patre promittente, Fratre adjurante, Advocato testificante. Quid petimus? hæreditatem, quam nobis impetravit Frater, concessit Pater, obsignavit Spiritus sanctus, sumus enim heredes Dei, coheredes Christi, templa Spiritus sancti &c. Salutare igitur effectum fidelis orationis est exauditio, sicut Christus expresse hoc loco dicit. *Omnia, quæcunque petieritis in precatione, credentes accipietis, ubi particula universalis omnia omnem dubitandi occasionem penitus excludit.* Si enim Christus dixisset nos quædam tantum accepturos, non possemus semper esse certi de exauditione, sed quia notanter dicit, nos omnia accepturos, inde cum Joh. dicere possumus. *Scimus, quia audit nos, quicquid petierimus, scimus, quoniam habemus petitiones, quas postulavimus ab ipso.* 1. Ep. 5. v. 15. De hac salutaris fidelis orationis efficacia extant præclara piorum veterum dicta. Chryso. in c. 4. Heb. *Tantum fidem asseramus, & omnia Dominus dabit.* Aug. in ser. 40 cap. 4. *Oratio justis, clavis celi. Ascendit precatio, descendit Dei miseratio, altum est cælum à terra & tamen Deus audit vocem hominis, si habeat mundam conscientiam.* Ephrem de luctu spiritali c. 2. *Omnis sancta oratio, consabulatio Dei est, perfectorum orationes cum magna exultatione cælum ascendunt, Angeli, & Archangeli cum gaudio occurrunt eis, & suscipientes eas usque ad thronum gloria sancti Dei perducunt.* Bernh. sermon. de tripl. modo orandi col. 98. *Judicium fidei sequere & non experimentum tuum, quoniam fides quidem verax, experimentum autem fallax. Quæ est ergo veritas fidei, nisi quod promisit ipse Filius Dei. Quicquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis.* Id in med. devotiss. cap. 6. col. 1166. *Nemo vestrum, fratres, parvipendat orationem suam. Dico n. vobis, quia ipse, ad quem oramus, non parvipendit eam. Primumquam egressa sit ex ore nostro, Deus eam scribi jubet in libro suo; Et unum è duobus indubitanter sperare possumus, aut dabit id, quod petimus, aut illud quod utiliter.* Simon de Cassia lib. 9. de gestis Christi cap. 49. *Ineffabilem, supernaturalem, superartificialem, super omne ingenium hominum, super Damonum astutiam & facultatem, super omnes Angelos & omnes celestes Spi-*

ritus & substantias separatas, fides & oratio potestatem atque virtutem efficacie à Domino acceperunt, ut ea credamus esse facta per fidem, qua nullis aliis argumentis fieri potuissent, atque illa orationi concessa, quæ omnibus aliis sunt denegata donis oblatisque muneribus, atque ullis humanis dignitatibus non porrecta. Neque verò promissionis hujus certitudinem labefactat, quod preces nostræ non videantur semper exaudiri, ejus enim rei causa unicè in nobis residet; vel quia preces in ore tantum nascuntur, non autem ex corde fidelis & devoto proficiuntur, cum tamè vera & Deo grata oratio sit colloquium cordis cum Deo Psalm. 119. v. 15. devotio mentis Augustinus de Spiritu & anim. cap. 50. ascensus mentis ad Deum Damasc. lib. 3. cap. 24. Vel quia petimus ea, quæ nobis futura essent noxia Matth. 20. v. 22. Rom. 8. v. 26. Jacob. 4. v. 3. cum tamen bona corporalia non nisi cum conditione sint petenda Matth. 6. v. 10. cap. 26. v. 39. 2. Cor. 12. v. 9. Vel quia non petimus debito modo, videlicet si non petamus in fide, sed de exauditione dubitemus 1. Tim. 2. v. 8. Jac. 1. v. 7. si non oremus ferventer & instanter Esa. 29. v. 13. Matth. 7. v. 7. Luc. 18. v. 1. si oremus cum odio adversus proximum, vel aliis adversus conscientiam peccatis Joh. 9. v. 31. 1. Tim. 2. v. 8. duobus modis oratio impeditur, ne impetret, quod postulat, ait Bernhard. ferm. 49. de modo bene vivendi si adhuc homo mala committat, aut si peccanti in se ex toto corde non dimittat. Quemadmodum enim nullum proficit in vulnere medicamentum, si adhuc sit in eo ferrum; sic nihil proficit oratio illius, qui odium & livorem servat in pectore, quæ solidiori est similitudo.

Atq; hæc etiam est causa, propter quam Christus doctrinæ de oratione hoc loco immediatè subjungit doctrinam de fraternæ condonatione, quæ tertium responsonis membrum constituit. Propositio hujus membri continet seriam exhortationem ad fraternam condonationem. Et cum steteritis orantes, remittite, siquid habetis adversus aliquem. Ratio additur à promissione, ut & Pater vester, qui in cælis est, remittat vobis delicta vestra, quæ amplificatur antithesi. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cælis est, dimittet peccata vestra. Connexionem cum membro præcedente ostendit particula *itaque*. Multi sibi persuadent, parum referre, quales se erga proximum gerant, modo orationibus & divino cultui sint intenti, sed quia Christus hoc loco cum oratione fraternam condonationem immediatè connectit, eo ipso manifestum facit, non placere Deo orationem illius, qui odium adversus proximum in corde adhuc reconditum servat. Hieronymus statuit, hanc sententiam pronunciatam fuisse à Christo in principio ministerii, cum in monte prolixam concionem ad discipulos & turbam haberet Matth. 6. v. 14. à Marco igitur eam non poni suo loco, sed ex occasione duntaxat repeti, cum enim de oratione mentionem fecisset, adjungere etiam voluisse illud ipsum, quod vel maximè ad orationem pertinebat. Sed, verisimilius est, hanc sententiam, utpote maximi momenti ac ponderis non semel, sed aliquoties à Christo fuisse prolatam, ut memoriæ hominum magis infingeretur, quod in more ipsi positum fuisse multis probari posset exemplis. Sed ne longè abeamus, hoc ipsum,

Harm. Tom. II. vel Gerb. Contin. pars prim.

quod jam tractamus, exemplum ostendit, doctrinam de fraternæ reconciliatione ad minimum quinque distinctis vicibus à Christo fuisse auditoribus inculcatam. Matth. 5. v. 23. & 24. docet munus ante altare relinquendum & cum fratre prius in gratiam redeundum, quo ipso ostendit, nulla sacrificia, nullos cultus, nulla bona opera Deo placere, nisi fraternæ inter nos vigeat reconciliatio. Matt. 6. v. 14. in ipsa oratione Dominica quotidie nos jubet petere. *Dimittite nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, quæ ratione perpetuum hujus doctrinæ memoriale nobis relinquere voluit. Matth. 18. v. 23. proponit hanc doctrinam in parabola servi, qui cum decem millia talentorum Domino suo deberet, ac centum denarios confervo suo dimittere nollet, eo nomine in carcerem conjectus, & ad extremi quadrantis solutionem justissimis pœnis fuerit adactus. Luc. 6. v. 37. inter cætera misericordiæ opera etiam numerat remissionem offensarum, & repetit luculentam promissionem: *Remittite & remittetur vobis*. Hoc loco, cum ad orandum accedimus, proximo delicta condonanda esse docet, ut & nos delictorum nostrorum remissionem à Deo consequamur, quæ omnia manifestè ostendunt, Christum seriò à nobis requirere, ut hanc de fraternæ condonatione doctrinam diligenter observemus & ad praxin quotidie eam deducamus. Age verò hanc ipsam exhortationem, quam Christus hoc loco nobis proponit, diligentius expendamus. Phrasin *ὅταν στήθητε* quidam exponunt, cum apparueritis coram Domino sive coram altari Domini, quam expositionem probant 1. ex collatione cum loco parallelo Matth. 5. v. 23. *cum offers munus tuum ad altare*. 2. Ex habitu orantium in Veteri Testamento, quia in solennibus precibus solebant olim flexis genibus orare Dan. 6. v. 10. quem morem etiam in Novo Testamento observarunt Christus Luc. 22. v. 41. Petrus Actor. 9. v. 40. & Paulus Actor. 20. v. 36. cap. 21. v. 5. unde genua flectere pro toto divino cultu usurpatur. 1. Regum 19. v. 18. Mich. 8. v. 6. 3. Ex hypocrisis Phariseorum. Non est verisimile, Phariseos, qui ex hypocrisis reliquis sanctiores videri voluerunt, aliter orasse, quam flexis genibus, cum Natura ipsa hanc reverentiam in precibus adhibendam esse doceat. Jam verò illi dicuntur *stantes orasse*. Matthæi 6. v. 5. Luc. 18. v. 10. 4. Ex phrasî Hebræa. Verbum *שָׁתַּת* stetit, quando additum habet *עַל פְּנֵי הַיְיָ* coram Domino, significat preces fudit. Genes. 18. v. 22. Et Abraham adhuc ipse stabat coram Domino; hinc *שָׁתַּת* statio pro ipsa precatione à Rabbinis usurpatur. Legitur enim apud Manahemum: Non est statio, nisi precatio ad locum, ubi steterat Abraham ante Dominum: sensus est, ubi preces fuderat, 5. Ex phrasî Græca. *σὺ στήθην* Græcis est *παρῆσθαι καὶ παρῆναι*, adesse, in conspectum se sistere, sive quis stet, sive sedeat, sive genua flectat. Exod. 33. v. 10. *σάντες πᾶς ὁ λαὸς προσέκυνησεν*, adorabant & incurvabant se. 2. Paralip. 34. v. 32. stare fecit omnes inventos in Jerusalem, id est, adduxit, sistere se iussit. Esa. 3. v. 12. *στήσει εἰς κλισίαν τὸν λαὸν σὺ* stare faciet, id est, adducet in iudicium populum suum, cum tamen genua coram hoc iudice omnes sint flexuri. Esaia 45. v. 23.

A a 4

Rom.

Rom. 14 v. 11. Quidam *ἐθήνητε* ad internam mentis devotionem referunt: cum steteritis orantes, id est, cum fixi atque immobiles in precatione fueritis, quasi homines animo in cœlum rapti, ita enim illud *ἐθήνητε* usurpari videtur. 1. Corinth. 16. v. 13. Galat. 5. v. 1. Philip. 4. v. 1. 1. Theff. 3. v. 8. 2. Theff. 2. v. 15. &c. Possit etiam τὸ *ἐθήνητε* accipi juxta phrasin Hebræam pro ministerio: hoc sensu. Cum steteritis orantes, id est, cum Deo ministrabitis, ipsique debitum cultum exhibebitis per preces & in precibus, ita enim verbum *ἠθύ* usurpatur Deut. 14. v. 12. cap. 18. v. 5. Zach. 3. v. 7. &c. Possit insuper hæc phrasin, cum steteritis orantes, simpliciter sic accipi, cum eritis orantes sive in oratione, quia 1. Paralip. 21. v. 15. Angelus Domini dicitur stare cum arca Areuna, pro quo simpliciter dicitur 2. Samuel. 24. v. 16. *וַיִּשְׁתָּה* erat Angelus Domini cum arca, ac Stephanus vidit Christum stantem, id est, verè existentem à dextris Deo Actor. 7. v. 56. Sed nulla nos agit necessitas, ut à literali & propria verbi significatione hic discedamus. Neque enim ritus flectendi genua in oratione est simpliciter necessarius, vel à piis perpetuo observatus, sed quandoque etiam stantes orare soliti fuerunt. 2. Regum 5. v. 11. 2. Paralip. 6. v. 11. &c. Ut ex vera cordis devotione oremus, sicque cordis genua coram Deo flectamus, illud est necessarium, sed corporis genua flectere est adiphorum. Quidam distinguunt inter preces solennes sive publicas & privatas, illas à stantibus fundi solitas fuisse statuunt Matth. 6. v. 5. Luc. 18. v. 10. has verò genibus flexis; sub intelligunt igitur hoc loco: Cum steteritis, scilicet in templo. Sed nec hoc fuisse perpetuum probari potest. Simplicissimè igitur verba Christi sic accipiuntur. Cum steteritis, sive in templo sive in privatis aedibus. *Προσευχόμενοι, orationi intenti, precibus vacantes, ἀφίετε, remittite, si quid habetis adversus aliquem, omnem iram, omnem rancorem, omnem vindictæ cupiditatem ex cordibus dimittite atque evellite.* Phrasin *εἰ τί ἔχετε καὶ τῷ Θεῷ* hoc loco aliter usurpatur, quàm Matth. 5. v. 23. Hic enim significat injuriam accepisse, illic fecisse & intulisse, uterque enim dicitur adversus proximum aliquid habere, sive læserit ipsum, sive ab eo læsus fuerit. Sensus igitur est, si quis vos læsit aut offendit, ut propterea aliquid juxta querelæ adversus ipsum habeatis, non debetis hoc nomine immortales adversus eum iras gerere, sed quamprimum ad orandum acceditis, proximo remittere, ut & Pater vester, qui in cœlis est, remittat vobis delicta vestra. *ὡς h. l. non ponitur τελικῶς, sed ἐκκαταρικῶς.* Neque enim debemus in nostra condonatione hoc intendere, ut per eam etiam nostrorum delictorum remissionem à Deo consequamur, cum nostra remissio non sit nec esse possit causa vel meritum remissionis peccatorum nostrorum à Deo obtinendæ, sed si nos ex corde remittimus proximo, tunc obtingit nobis illud, ut & nostra peccata à Deo nobis condonentur. Augustinus lib. 21. de Civit. Dei cap. 27. *emphasin quærit in voce vestra, ac statuit intelligi non quælibet aut quamlibet gravia peccata, sed ejusmodi, sine quibus non vivunt in hac vita etiam pii & renati, quales erant Apostoli, quibus hæc dicuntur.* Et sanè vocabulum *ἀφεσιμότητων* in quibusdam Scri-

pturæ dictis de quotidianis piorum infirmitatibus & nævis usurpatur. Galat. 6. vers. 1. dicitur enim vel à *ἀφροσύνη* seu prater cadere, juxta cadere, videlicet juxta offendiculum, in quod quis impedit, vel à *ἀφροσύνη*, quod est temerè & aberrante manu aliquid tangere. Hieronymus in cap. 2. Ephes. Ajunt, quod *ἀφροσύνη* quasi initia peccatorum sint, cum cogitatio tacita subrepat & ex aliqua parte conviventibus nobis, nec dum tamen nos impulsit ad ruinam; ἀμαρτία verò esse, cum quid opere consummatum pervenit ad finem. Sed exempla ostendunt, hoc discrimen non esse perpetuum. Interim rectè observatur, quod Christus hoc loco agat cum piis & renatis, non autem cum infidelibus extra Ecclesiam, nec cum hypocritis & non renatis sive fide destitutus. Neque enim generalis est hæc promissio, quasi cuius remittenti proximo offensas, etiam coram Deo peccata dimittantur, cum etiam inter gentiles saniores ἀμαρτία & injuriarum condonatio quandoque locum habeat, sed pertinet ad verè credentes & renatos, qui Deum in cœlis invocant ut Patrem per Christum Mediatorem. Illi cum in hac vita non careant omnibus peccatis ac infirmitatibus, ideo prompti esse debent ad fraternam condonationem, ut ipsi quoque à Deo remissionem suorum peccatorum consequantur. Addit etiam Christus anthithesin, quæ alteram causam impulsivam condonationis complectitur, videlicet maximum illud periculum, quod imminet illis, qui peccata proximo remittere nolunt. *Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cœlis est, dimittet peccata vestra.* Hæc pericope in plerisque Græcis Codd. non invenitur, unde etiam Theophylactus eam non legit, adjecta tamen est eò, quod in vetustis adderetur & in Græcis nonnullis extaret. Camerarius eam in vetere quodam libr. Græco extitisse memorat, in quo etiam subiecta fuerint ea, quæ habentur Matth. 7. vers. 7. *αἰτετε καὶ δοθήσεται ὑμῖν. ζητετε, καὶ εὕρετε. κηθήτε καὶ ἀνοίγησεται ὑμῖν.* vers. 8. *ὡς γὰρ οὐρανὸν λαμβάνει καὶ ὁ ζῆλὸν εὕρεσκει καὶ τὰ κηθῶν ἀνοίγησεται,* quæ Latinus interpres hoc loco non expressit, uti nec Syrus, qui tamen idem habet anthithesin. Porro particulam *de* quidam hic positam statuunt pro *γὰρ*, sed potest commodè retineri adversativa, cum priori promissioni opposita comminatio exprimitur. *Si vos non remiseritis, si non omnem iram, omnem amaritudinem ac vindictæ cupiditatem ex animis vestris abjeceritis, ac illis etiam, qui non perunt offensarum suarum condonationem remiseritis, nec Pater vester, qui in cœlis est, dimittet peccata vestra:* proinde etiam non erunt ei gratæ preces vestræ, nec obtinebitis id, quod petitis, cum absque peccatorum remissione non possint alia beneficia à Deo precibus impetrari. *Emphaticè autem Christus addit, nec Pater vester, qui in cœlis est, dimittet, hoc enim vult dicere: Si vos hominiones, qui domos luteas in terris habitatis, non dimittitis proximo offensas, nec Pater vester, qui in cœlis est, quo infinitis modis inferiores estis, vestra peccata dimittet.* Sirac 28. vers. 3. *Homo homini conservat iram, & à Domino querit medelam? in hominem similem sibi non habet misericordiam?*

sericordiam & pro peccatis suis deprecatur? vers. 5. ipse caro existens conseruat iram, & quis propitiabit peccata illius? Principalis igitur hujus membri doctrina est de fraterna condonatione, quod ea non sit in arbitrio nostro posita, sed summè necessaria, ita quidem, ut absque ea non possimus peccatorum nostrorum condonationem à Deo impetrare. Ratio hæc est, quia peccatorum remissionem non possumus obtinere, nisi verà in Christum fide. Jam verò fides, si vera & viva est, per dilectionem sese exerit Galat. 5. v. 6. proinde, ubi non vera est dilectio, ibi nec vera fides locum habet. At quomodo in corde ibi regnaret dilectio, ubi adhuc hostile odium erga proximum dominatur? Hæc enim indissolubili nexu sese invicem consequuntur. Ubi non est fraterna condonatio, ibi non est vera dilectio; ubi non adest dilectio, ibi nec adest vera fides; ubi non est vera fides, ibi non est peccatorum remissio; ubi non est peccatorum remissio, ibi nec gratia Dei, nec precum exauditio, nec vita æterna. Ergo ubi non est fraterna condonatio; ibi nec peccatorum remissio, nec gratia Dei, nec precum exauditio, nec vita æterna locum habere possunt. Pontificii ex hoc loco evincere conantur, solam fidem non sufficere ad justificationem, sed ad eam etiam necessariam esse caritatem proximi ac fraternam condonationem. Verùm quid respondendum sit, ex dictis non est obscurum. Necessaria omnino est charitas proximi & quæ ex ea oritur, fraterna condonatio, non autem ad justificationem & peccatorum remissionem coram Deo promerendam, sed ad fidei veritatem demonstrandam, cum non sit vera ac viva fides, quæ non operatur per dilectionem, & fraternam condonationem, quam explanationem nobis suppeditat Joannes 1. Epist. 3. v. 14. Scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, (per veram in Christum fidem) quia fratres diligimus. Qui non diligit, (qui fidem suam per dilectionem non exerit Galat. 5. v. 6. Jacob. 2. v. 18.) manet in morte. Nequaquam igitur hæc sententia Christi eò trahenda, quasi merito nostræ condonationis justificationem, peccatorum remissionem, & precum exauditionem obtineamus, cum ex gratia justificemur, ex gratia peccata nobis remittantur, ex gratia preces nostræ exaudiantur, jam verò gratia & operum merita sibi invicem opponuntur Rom. 11. v. 6. Ephes. 2. v. 9. sed Christus officii nostri nos admonet ac de precum exauditione, nostrorumque debitorum condonatione fide certos nos esse jubet, si flammis odii & vindictæ per caritatem sopitis atque extinctis proximo fraternè condonemus, quicquid adversus nos deliquit. Sicut Deus est ipsa caritas 1. Joh. 4. v. 8. ac prior nos dilexit v. 10. ita quoque requirit à nobis, ut nos invicem diligamus v. 11. huic verò dilectioni maximè adversatur ira & odium, adversus proximum ex offensis, quibus nos læsit, enatam, Christus igitur jubet, ut ad orationem accessuri offensas prius remittamus, vitiosos iræ, odii & vindictæ affectus mortificemus, atque hac ratione per dilectionem fidem nostram demonstremus, ne preces nostræ impediatur. 1. Tim. 2. 8. 1. Pet. 3. 8. sed ut cum fructu oremus, atque illud, quod à Deo petimus, impetremus. Lyran. in com. dicit: hoc Christi præceptum accipiendum esse tantum

de remissione offense, non autem de remissione injuriæ, cum possit aliquis petere secundum ordinem justitiæ compensationem pro injuriæ sibi facta. Francisc. Luc. docet, non tam hic agi de exteriori dimissione, quæ non nisi rogantibus debetur, quàm de interiori. Sed talis remissio foret semiplena & imperfecta, neque enim solum offensæ sunt remittendæ, sed etiam injuriæ condonandæ, nec solum interius in corde mortificandum est odium, sed etiam exterius verbis & gestibus amicè erga proximum nos gerere oportet, nihilo tamen minus auxiliū Magistratus implorari potest, absque ullo ob injuriam acceptam odio in corde adhuc superstiti. Durum hoc videtur carni nostræ, quæ totis repugnat viribus, quò minus ex corde proximo condonemus, sed Spiritu illi resistamus, eamque mortificemus consideratione periculi, quod nobis impendet, si proximo nolimus remittere; videl. quod non possumus peccatorum remissionem coram Deo obtinere. Singulis diebus, imò horis, imò momentis peccamus, singulis igitur momentis peccatorum remissione indigemus, sed si remissionem peccatorum à Deo obtinere cupimus, necessarium est, ut & nos proximo remittamus. Singulis horis, imò momentis, mors nobis imminet, quanti verò periculi res sit, in odio adversus proximum mori, hæc Christi sententia manifestum facit. Suspiremus igitur ad Dominum, ut auferat à nobis cor durum ac lapideum, & donet nobis cor molle ac carneum, quod ad fraternam condonationem sit promptum Ezechiel. 36. v. 26. ut quod per duritiam cordis nostri & carnis infirmitatem ex nostris viribus præstare non possumus, ipso donante, & Spiritus sancti robor nobis largiente, possumus. Præstò sunt causæ complures, quæ ad fraternam reconciliationem nos hortari & impellere debent, utpote 1. divinum mandatum, 2. cœlestis Patris exemplum, 3. Christi factum, 4. necessitas, 5. dignitas, 6. nostræ conditio, 7. mortis consideratio, 8. larga promissio, 9. severa comminatio, 10. exemplorum meditatio, de quibus ex Scripturæ dictis parallelis latè egimus lib. 4. Schol. pietatis c. 21. Sed causas hasce omnes vel certè plerasque Christus complectitur, ac maximè urgentes nobis inculcat, quando h. l. dicit: Cum sceteritis orantes, remittite, si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester, qui in cœlis est, remittat vobis delicta vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cœlis est, dimittet peccata vestra. Præter hanc principalem de fraterna condonatione doctrinam etiam aliæ in his Christi verbis continentur, utpote. 1. de gestibus in oratione adhibendis. Quamvis Deus in precibus cor respiciat 1. Sam. 16, 7. non externos gestus vel verba affabre composita, tamen ubi adest vera cordis devotio, ibi etiam sponte sequuntur decentes gestus, convenientes illis, qui coram divinæ majestatis throno in precibus sese stare norunt. Sic Christus Joh. 17, 1. orat elevatis in cœlum oculis, ut ostendat, se affectu animi in cœlo potius esse, quàm in terra, sibi; colloquiū esse cum Patre, qui in cœlis est, quem gestum in precibus etiam adhibuit David Ps. 121, 1. dicit: Levavi oculos meos ad montes, id est, ad cœlum, quod videtur altioribus montibus velut incumbere, vel etiam ad montem Moriah, in quo templum erat extructum, ad quod facie conversa orare solebant. Ps. 123. Ad

te levo oculos meos, qui in calis habitas. Usitata etiã fuit Sanctis levatio manuum 1. Tim. 2. v. 8. quã itidem signum est, cor ad Deum esse elevatum, quo gestu etiam Moses in precibus utitur Exod. 17. v. 11. Quidam in precibus curvarunt genua, ut Stephanus Actor. 7. v. 6. Petrus Actor. 9. v. 40. Paulus Actor. 20. v. 36. & cap. 21. v. 5. ac Christus ipse Luc. 22. 41. quo gestu tessari voluerunt, quod cordis genua ex vera reverentia flexerint Eph. 3. v. 14. quinimò quidam ex vera humilitate & serâ divinã majestatis reverentia planè in faciem prociderunt, sicut Abraham Gen. 17. v. 3. David 1. Sam. 25. v. 23. Petrus Luc. 5. v. 12. ac Christus ipse in horto Matth. 26. v. 39. Ritus standi, cujus Christus in hoc loco mentionem facit, admonet nos, quod in precibus debeamus esse fide fixi & immobiles, atque in precibus persistentes. 2. De quotidianis piorum infirmitatibus. Christus hoc loco ad Apostolos & sub ipsorum nomine ad omnes renatòs loquitur, ac testatur ipsis quotidianas infirmitates adhuc adharere, quarum remissionem debeant fide à Deo petere, unde quotidie eos orare docuit. *Dimitte nobis debita nostra.* Omnium enim Sanctorum perpetua vox est 1. Joh. 1. v. 8. *Si dixerimus,*

quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est. 3. De principali & præcipua orationis materia, quid potissimum à Deo petere debeamus, remissionem scilicet peccatorum, unde etiam in medio orationis Dominicæ dicere jubemur: *Dimitte nobis debita nostra. Injuriam Deo facit, qui parva petit,* ait Savanarola in Psalm. 51. *parva autem sunt omnia corporalia, magna verò spiritualia,* inter quæ eminent peccatorum remissio. Ubi enim peccatorum remissio, ibi Dei gratia, justitia & vita aeterna. Illam igitur potissimum in precibus à Deo petamus. 4. De extremo periculo, quod impendet illis, qui contra caritatis leges protervè peccant. Si enim is, qui ab alio læsus, non remittit, sine fructu orat, neque quidquam à Deo impetrat, quanto minùs is, qui alios lædere non cessat, preces Deo gratas fundere poterit? Vigeat ergo in nobis charitas, vigeat perpetuum festum reconciliationis, vigeat fraternalis condonatio, ut impetrata à Deo peccatorum nostrum remissione salutis aeternæ per Christum participes reddamur.

CAPUT CL.

CHRISTUS A SACERDOTIBUS, SCRIBIS ET SENIORIBUS INTERROGATUS, QUAE POTESTATE DOCEAT, QUÆSTIONEM DE BAPTISMO JOHANNIS IPSIS REPO-
NIT. MATTH. 21. VERS. 23. MARC. 11. VERS. 27.
LUC. 20. VERS. 1.

RATIO ORDINIS.

Lucas in genere dicit, Christum quotidie in templo Hierosolymitano docuisse, postquam regium suum in urbem ingressum celebraverat, & unã quadam illarum dierum, inter ingressum regium & passionem intermediarum, hanc disceptationem CHRISTI cum Pontificibus, Scribis & Senioribus contigisse. Sic ergo ex Luca descriptione non potest exactè colligi, quo die præcisè Christus adversariis suis quæstionariis hanc de Baptismo Johannis quæstionem proposuerit. Quia enim non continuat Historiam eorum, quæ quolibet die inter Dominicam palmarum & diem passionis intermedio contigerunt, ut faciunt Matthæus & Marcus, ideò indeterminatè dicit, factum esse in una istorum dierum. Ac posset aliquis cogitare, per *μία τῶν ημερῶν ἐξείκον*, juxta phrasin Hebraicam, intelligendam esse primam istorum dierum, hoc est, proximum ab ingressu diem, sive ut hodie loquimur, diem Lunæ. Eo enim sensu non solum Hebræi voce *ימים* Genes. 1. v. 5. Num. 29. v. 1. quam Syrus hoc loco habet, sed etiam Evangelistæ & Apostoli vocabulo *μῆρας* utuntur Matth. 28. v. 1. Marc. 16. v. 2. Actor. 20. v. 7. Quin & hanc expositionem sequitur Loffius, qui in cap. 20. Luc. sic commentatur. *In uno dierum, id est, primo post diem palmarum, quo in ur-*

bem mane rediit. Matthæus itidem Historiam sic contextit, ut videri alicui possit, uno eodemque die maledictionem ficus infrugiferæ, & hanc Christi cum Pontificibus, Scribis & Senioribus disceptationem contigisse, nam sine interposito dierum discrimine dicit v. 17. *Et reliquias foras exiit, extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit.* vers. 18. *mane autem revertens in civitatem esuriit.* vers. 23. *Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentes Principes Sacerdotum &c.* Sed ex Marco evidentè colligitur, secundo ab ingressu in urbem die, hoc est, die Martis, ut hodie loquimur, hæc contigisse. Postquam enim Marcus Historiam regii ingressus die Dominica factam descripsisset, subjungit cap. 11. vers. 11. *Cum esset tempus vespertinum, exiit in Bethaniam* vers. 12. *καὶ τῆς ἐρατικῆς die altera, cum exirent à Bethania, esuriit,* ac videns ficum foliosam nihilque fructus in ea inveniens, ei maledixit, v. 15. *Et veniunt rursus Hierosolymam* v. 19. *Et cum vespere esset, egrediebatur à civitate* vers. 20. *Et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus:* quod cum discipuli maximopere mirarentur, instruit eos de virtute fidei vers. 27. *Et veniunt rursus Hierosolymam,* dum his de rebus sermones invicem cederent, sicut duobus superioribus diebus factum fuerat. *Et cum ambularet in templo,*